

*Reg 44866*

# STIMULUS

*PASTORUM,  
EX SENTENTIIS PATRUM,  
CONCINNATUS;*

In quo agitur de vita & moribus Episcoporum, aliorumque Prælatorum.

*Per R. R. D D. BARTHOLOMÆUM  
A MARTYRIBUS Archiepiscopum  
Bracharensem, & Hispaniæ Primate.*

EDITIO RECENS.



FRANCOPOLI;

Apud PETRUM VEDEILHIE,  
Regis Typographum.

---

M. DCC. LXV.

*Cum Approbatione & Privilegio Regis*

EDITION 2



---

## APPROBATIO.

JUSSU Illustrissimi Galliarum Cancellarii legi Librum cui titulus est : *Stimulus Pastorum*, in quo nihil quod non sit ad accendendum, foven- dumque pietatis & zeli fervorem idoneum depre- hendi. Itaque iterum publici juris esse faciendum censeo. Parisis 15 Februarii 1764.

MILLET.

---

## PRIVILEGE.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE : A nos Amés & Féaux Conseillers, les Gens tenants nos Cours de Parlement, Maîtres ordinaires des Requêtes de notre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Bailliſs, Sénéchaux, leurs Lieutenants Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra; SALUT: notre Amé V E D E I L H I É, Libraire à Villefranche de Rouergue, nous a fait exposer qu'il désireroit faire réimprimer & donner au Public des Livres qui ont pour titre : *Stimulus Pastorum*, per R. DD. Bartholomæum à Mariyribus. *De Sacrificio Missæ Tractatus Asceticus*, Joannis de Bona. *Fidei Analysis*, Henrici Holden. *Épi- tres & Évangiles avec de courtes Reflexions*, s'il nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Per- mission pour ce nécessaires; A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Exposant, nous lui avons permis & permettons par ces Présen-

tes de faire réimprimer lesditt Livres autant de fois que bon lui semblera, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le temps de trois années consécutives à compter du jour de la datte des Présentes; faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires & autres Personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire de réimpression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance; à la charge que ces Présentes seront enrégistrées tout au long sur les Régistres de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles, que la réimpression desdits Livres sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & beaux caractères, conformément à la feuille imprimée attachée pour modele sous le contre-scel des Présentes, que l'Impétrant se conformera en tout aux Règlements de la Librairie & notamment à celui du 10 Avril 1725, qu'ayant de les exposer en vente les Imprimés qui auront servi de copie à la réimpression desdits Livres, seront remis dans le même état où l'approbation y aura été donnée ès mains de notre très-cher Amé & Féal Chevalier Chancelier de France le Sr. de Lamoignon, & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliothèque publique; un dans celle de notre Château du Louvre, un dans celle de notre très-cher & Féal Chevalier Chancelier le Sieur de Lamoignon, & un dans celle de notre très-cher & Féal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Berryer, le tout à peine de nullité des Présentes; du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Exposant & ses ayant causes pleinement & paisiblement, sans


souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons qu'à la copie des Présentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Livres, foi soit ajoutée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous Actes requis & nécessaires, sans demander autre permission & nonobstant clamour de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires. Car tel est notre plaisir. DONNÉ à Paris le cinquième jour du mois de Mai, l'an de Grace mil sept cens soixante-quatre, & de notre Regne le quarante-neuvième.

PAR LE ROI EN SON CONSEIL.

LE BEGUE.

*Réglisé sur le Régistre XV. de la Chambre Royal et Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 641. fol. 360. conformément au Règlement de 1723. A Paris, ce 25. Mai 1764.*

VINCENT, Adjoint.



# INDEX OPERIS.


<b>S</b> LECTA ex Divo Gregorio in Pastorali.	3
Collecta ex Epistolis Beati Gregorii.	18
Selecta ex Divo Bernardo ad Eugenium.	37
Selecta ex eodem.	45
Collecta ex Epistolis D. Bernardi, & aliis ejusdem operibus.	54
Selecta ex Divo Augustino, Chrysostomo, aliisque Patribus, de officio Pastorali.	80
Sollicitudo & occupatio quæ sit digna Episcopo, & quæ indigna.	96
Gravitas, affabilitas, & suavitas, à Pastore servandæ.	128
Misericordia & largitas Episcoporum.	136
Studium Prælati in oratione, contemplatione, ac sacrificii oblatione.	148
Puritas intentionis, & constantia, ac immutabilitas animi in Sanctis Decretis & Consiliis.	156
Humilitas & modestia Prælatorum, quoad statum & Personam.	163
Quod prædicatio sit præcipuum Episcopi munus.	179
Patientia, atque constantia Pastoris in ad-	

## I N D E X.

- veritatibus & persecutionibus tolerandis.* 185  
*Zelus justitiae, fortitudo ac magnanimitas*  
contra peccata, 208  
*Contra pusillanimitatem & scrupulos con-*  
scientiae, unamque tristitiam sœpè infestan-  
tem nonnullos pios Pastores. 224  
*Prudentia & circumspectio, Pastoris in verbis*  
& factis. 242  
*De mensâ Episcopi.* 261  
*De Abbatis electione.* 268  
*De Abbatis officio in genere, & ejus quali-*  
zatibus. ibid.  
*De discretione Abbatis in operibus injungen-*  
dis. 271  
*Quād sollicitè debeat Abbas corporis necef-*  
saria Monachis providere. 273  
*Qualiter debeat esse sollicitus Abbas circa*  
delinquentes Fratres, ut corrigantur. 276

IV DEC

¶ 1. *Expositio in libro de Genesi capitulo primo.* *Expositio in libro de Genesi capitulo secundo.*  
¶ 2. *Expositio in libro de Genesi capitulo tertio.* *Expositio in libro de Genesi capitulo quartu-*  
¶ 3. *Expositio in libro de Genesi capitulo quinto.* *Expositio in libro de Genesi capitulo sexto.*  
¶ 4. *Expositio in libro de Genesi capitulo septimo.* *Expositio in libro de Genesi capitulo octavo.*  
¶ 5. *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo.* *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo un-*  
¶ 6. *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo secundo.* *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo ter-*  
¶ 7. *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo quartu-*  
¶ 8. *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo sexto.* *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo octavo.*  
¶ 9. *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo nonagesimo.* *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo nonagesimo secundo.*  
¶ 10. *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo nonagesimo quartu-*  
¶ 11. *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo nonagesimo sexto.* *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo nonagesimo octavo.*  
¶ 12. *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo nonagesimo nonagesimo.* *Expositio in libro de Genesi capitulo nonagesimo nonagesimo nonagesimo secundo.*



SELECTA  
EX DIVO  
GREGORIO  
*in Pastorali, Parte primâ.*

**P**ERTRAHI ad Episcopatum (a), est pertrahi ad ducatum populorum, ad exemplar vivendi, ad normam irreprehensibilem evangelicæ vitæ, juxta illud (b): Oportet Episcopum irreprehensibilem esse ad portandum onera aliena. O stultum, qui cùm ad casum urgeatur ex oneribus propriis, humeros libenter submittit opprimendus alienis!

Contra Pastores, aliud agentes, aliud docentes (c), Osee 8. Ipsi regnaverunt & non ex me: Principes extiterunt, &

---

(a) Gregor. cap. 1, & 10.

(b) I. Tim. III.

(c) Idem Greg. c. xij

## 2 EX EPISTOLIS

ego ignoravi. *Et Jerem.* 2. Tenentes legem nescierunt me, & Pastores prævaricati sunt in me. *Et Fzech.* 34. Cùm ipsi purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris conculcabatis ac turbabatis: & quam pedes vestri turbaverant, bibebant oves: quia puram sapientiam quam ex scripturis hauserant, vitâ corrumpunt: atque hoc modo aquam scripturæ turbidam ovibus propinant.

(a) Nemo se imaginibus cogitationum magna facturum proponentibus illudat; sed ex ante acta vita se judicet, quid in Episcopatu acturus est. Quomodo enim in culmine positus, discere poterit humilitatem, qui in imis non desinit superbire? Quomodo avaritiam superare poterit deputatus ad sustentationem multorum, qui ante propria tenaciter servabat? Nam quid est officium pastorale, nisi quædam jugis ac perpetua mentis tempesta, fluctibus curarum & cogitationum semper fervens? Qui ergo mentis naviculam, dum in tranquillo navigabat, dirigere vix poterat, quomodo in medio procellarum servabit illæsam? Unde cùm cogitationum procellis navis cordis semper quatitur, atque incessanter huc

& illuc impellitur, accidit, ut per repentinus excessus oris & operis, quasi per obviantia saxa, frangatur. *Et infra.* Inter hæc itaque quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus, nec coactus accedat. Ille si omnino renitur, caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur (pecuniam siquidem in sudario ligare est, percepta dona sub otio lenti temporis abscondere:) iste si faciliter acceptat, videat ne per mali operis exemplum fiat obstaculum ingredientibus regnum coelorum, more Phariseorum: quibus Dominus dixit, quod neque ipsi intrabant, neque alios intrare permittebant. Denique cum sit datus medicus aliorum, si passionibus adhuc abundant, quomodo percussum curare properat, qui in facie vulnus portat?

Ille igitur (*e*), ait, ad exemplum vitae pertrahatur, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit; qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat, qui pietatis affluit visceribus, qui cito silexit ad ignoscendum: sed nunquam

## *EX EPISTOLIS*

plusquam decet ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur: qui non perpetrat illicita, sed ab aliis perpetrata ut propria plorat, & in profectibus proximi exultat: qui sic recte vivit, ut tamen arentia proximorum corda fluentis doctrinæ irrigare non ccesset: qui orationis usu & experimento, jam didicit, quod obtinere à Domino quæ poposcerit, possit. Nam si homo (*f*) apud hominem, non sibi familiarem erubescit fieri intercessor, quâ audaciâ intercessoris officium arripit apud Deum, qui per merita vitæ, ei se familiarem nescit? Cuncti enim liquidò novimus, quod cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

Sit ergo pastor, ait idem, (*g*) actione præcipius, præ cunctis contemplatione suspensus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae eretus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prvidentiam in internorum sollicitudine non relinquens. Necesse loci compellitur summa docere, & ideo eadem necessitate

---

(*f*) Cap. 11

(*g*) Gregor. 2. part, c. 1.

compellitur eadem, vitâ, & opere mons-  
trare. Quid insanius quâm docere contem-  
nendum fastum, & epulas splendidas, &  
cætera hujus generis, & hæc eadem operi-  
bus se&tari? Imò credere necessaria ad auc-  
toritatem officii (*h*)? Ideò prædicator ju-  
betur ascendere super montem excelsum,  
videlicet ut sit elevatus à terrenis affectibus  
& operibus, &, ut ibidem dicit, non so-  
lum debet vitâ transcendere malos, sed  
etiam omnes bonos subditos: quia sicut  
eos superat honore ordinis, ita & excel-  
lentiâ virtutis omnibus devotior, humili-  
or, patientior, abstinentior, largior,  
&c. Quique nulla prospera præsentis vitæ  
appetat, nulla adversa pertimescat: blandi-  
menta mundi, considerato intimo terrore,  
ac periculo statûs sui, despiciat: terrores  
autem mundi considerato blandimento in-  
ternæ dulcedinis, contemnat. (*i*) Non il-  
lum prospera elevent, non adversa pertur-  
bent, non blanda usque ad voluptatem de-  
mulceant, non aspera usque ad desperatio-  
nem premant. Ideò, dicit Paulus (*k*), per  
arma justitiæ à dextris & à sinistris: (*l*) *Et:*  
Superumerale pontificis utrumque hume-

(*h*) Esa. XI.(*k*) 2. Cor. I. VI.(*i*) Greg. 2. p. cap. 3.(*l*) Exod. 28.

## 6 EX EPISTOLIS

rum operiebat : & erat in eo coccus bis  
tinetus, id est, ardor charitatis Dei & pro-  
ximi. Contra vitia clamet, neque cesset,  
quasi tuba exaltet vocem suam : non sit si-  
cut illi de quibus *Isa. 56*, dicitur; canes  
muti non valentes latrare : *Et Paulus (m)* :  
Ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, &  
eos qui contradicunt arguere. Specialiter  
verò semper audiatur sonitus prædicationis.  
ejus, quandò ingreditur Sanctuarium : ob-  
cujus significationem tintinnabula jubeban-  
tur innecti vestimentis sacerdotalibus. Hoc  
est, bonis operibus vox, & sonitus præ-  
dicationis adjungatur.

Pastor (n) cum Paulo ad tertium coe-  
lum contemplatione rapiatur : & cum eo-  
dem per viscera pietatis descendat ad ter-  
ras, dicens. Quis infirmatur (o), & ego  
non infirmor ? &c. Factus sum Judæis tan-  
quam Judæus, &c. Cum Moyse crebrò  
ingrediatur & egrediatur tabernaculum :  
videlicèt intùs in contemplationem rapia-  
tur, foris infirmantium negotiis urgeatur :  
intùs Dei arcana consideret, foris onera  
carnalium portet : & cum eodem in dubiis  
ad arcam testamenti, ad consulendum Do-

(m) Tit. I.

(o) 2. Cor. XI.

(n) Greg. c. 5.

minimum recurrat, exemplum Salvatoris nostri, qui postquam in monte orationi vacaverat, ad urbes, ad miracula, pro relevandis hominum miseriis descendebat, quia tunc ad alta charitatis mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit: & cum benignè descendit ad infima, valenter recurrat ad summa. Ideò in scalâ (p) Jacob Angeli ascendebant & descendebant, scilicet per contemplationem, subventionem.

Tales se exhibeant (q) Pastores subditis, ut illis occulta sua ac fluctus tentacionum pandere non erubescant: sed fidenter ad pastoris mentem, quasi ad sinum matris recurrent.

Cum subditis (r) benè viventibus, quasi æqualem se exhibeat. Cum autem aliquis in culpam labitur, protinus potestatem sui prioratus agnoscat. Nam cum naturâ omnes homines sint æquales, sola culpa unum alteri præposuit. Absit igitur à Prælato, quod gaudeat præesse, sed duntaxat præesse. Unde solis illis subditis se timendos ac tremendos exhibeant, qui Deum non timent.

(p) Gen. XXVIII.  
(r) Greg. c. 6.

(q) Greg. c. 5.

Sed heu (*f*) , plerumque Rector eo ipso quo cæteris præeminet , elatione cogitationis intumescit : dum videt jussa sua velociter impleri , laudibus efferri , aliquando etiam in malè gestis , &c. incipit intus evacuari veritate , impleri vanitate , & oblitus sui , in voces se spargit alienas : talemque se credit , qualem se foris audit , non qualem intus discernere debuit : & jam credit se meritis excedere , quos potestate transcendent : cunctis se æstimat amplius sapere , quibus se videt amplius posse : in quodam se constituit culmine apud semet ipsum : & ex æquo respicere cæteros de dignatur , ut fiat similis illi qui dixit : Ascendam super altitudinem nubium , &c. Merito siquidem apostatae Angelo similis efficitur , qui aliis hominibus esse similis de dignatur : sicut Saul , quem humilitas fecit prælatum , dicente Domino : Nonhè cum parvulus esses in oculis tuis , caput in tribubus factus es (*t*) , superbiâ verò reprobum , & à Deo reprobatum. Cum enim apud se parvulus esset , apud Deum magnus erat : cum autem apud se magnus fuit , apud Deum parvulus factus est.

Igitur Pastor bonus (*u*) æqualem se cer-

(*f*) Greg.

(*t*) I. Reg. V.

(*u*) Idem. In past. p. 2. cap. 6. Act. X.

hat, peccantibus autem zelo ultiōis se anteferat, imitans Pastorū principem Petrum, qui cūm bonus Cornelius se prosterneret, dixit: Surge, ne feceris, & ego ipse homo sum. Contra Ananiam autem & Saphyram, potentissimum se exhibuit. Sic Paulus, bonis quidem dicebat, non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri (*x*), & subjungit rationem; nam fide statis. Idem dicebat, facti sumus parvuli in medio vestrūm. Et rursum: nos autem servi vestri per Christum. At contra incestuosum imperiosè se erexit, tradens illum Satanæ. Et rursūm (*y*): vultis in virgâ veniam ad vos (*z*)? Igitur summus locus benè regitur, cūm ille qui præest (*a*), vitiis potius quam fratribus dominatur: & cūm vitiosos punit, eosdem tacitâ cogitatione sibi præfert. Nam, ut ibi optimè dicit, Pastor tantò apud Dominum obligatior est ad sui ipsius correptionem & humilitatem, quantò apud homines nemo est qui illum corripiat. Subditus autem, tantò à divino judicio liberior est (*b*), quantò hic suarum culparum habet ultorem.

(*x*) 2. Cor. I.(*y*) 2. Thes. II.(*z*) 2. Cor. IV.(*b*) Idem 2. part. c. 6.(*a*) 1. Cor. IV.

A. V.

Solerter tamen , ait , intueri debet Prælatus , ne dūm immoderatius custoditur virtus humilitatis , solvantur jura regimini: Et dūm Prælatus quisque plus se quādecet , dejicit , subditorum vitam stringere sub vinculo disciplinæ non possit. Tenent ergò Rectores exteriūs quod pro aliorum utilitate suscipiunt : servent interiūs quod de suā æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus , eos apud se esse humiles , etiam subditi deprehendant : quatenus & in auctoritate eorum quod formident , videant : & in humilitate , quod imitentur agnoscant.

Cūm autem , ait , Rector delinquentem punire compellitur , sollicitè observare debet (c) ut sic jura disciplinæ contra delinquentes , exerceat , ut pietatis viscera non amittat : simul enim se exhibere debet & matrem pietatis , & patrem disciplinæ. Atque inter hæc sollicitâ circumspectione providendum , ne aut districtio sit rigida , aut pietas remissa : nam disciplina & misericordia multūm destituitur , si una sine alterâ teneatur. Insit ergò Rectori circà subditos & justè consolans misericordiâ , & piè fæviens disciplinâ , infundat vulneribus

---

(c) Ibidem. 6.

vinum & oleum, ut scilicet per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foveantur. Ille igitur qui sanandis vulneribus præficitur, in vino morsum doloris adhibeat, & in oleo mollitem pietatis, quantum per vinum mundentur putrida, & per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, & facendum quoddam ex utroque temperamentum: ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur. Unde sicut in arcâ testamenti erat similir virga & manna: sic in pectore Pastoris rigor & dulcor. Unde David (*d*), virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt; virgâ enim percutimur, baculos sustentamur.

Item, ait, (*e*) duo extrema debet canere Pastor: ne aut exterioribus curis nimis deditus, ab intimis corruat: aut solis interioribus occupatus, quae foris debet proximis, non impendat. Incidentes in primum extremum, sunt illi qui oblii se datos esse in Prælatos propter salutem animalium, diebus ac noctibus solis curis extensis incumbunt; quo fit, ut interna (quae alios docere debuerant) ignorent:

quo etiam fit, ut subditi non perficiant, sed potius in spiritualibus torpeant, quia non habent Pastorem, eorum animas ad cœlestia sublevantem, & ducem, viam perfectionis ostendentem. Si enim à duce itineris erratur, exercitus sequens quomodo pertinget? Hic enim potius terreni iudicis, quam cœlestis ducis officium exercens, terrenis studiis suis excæcat oculos subditorum. Unde Dominus, non solum Pastores, sed & omnes admonet dicens: (*f*) Videte ne graventur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis hujus sæculi. *Et Apostolus*: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, &c (*g*). *Et item*: Quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærите, non quæ super terram; mortui enim estis, &c. Quod si Episcopi dixerint, multa nobis sæcularia negotia commissa sunt, respondet Gregor (*h*). adducens illud Pauli 1. ad Corinth. 6. Sæcularia judicia si habueritis, contemptibles qui sunt in Ecclesiâ illos constituite ad judicandum, ut scilicet illi in terrenis & sæcularibus negotiis occupentur qui penetrare intima nequeunt. Ideò meritò Jethro

(*f*) Luc. XXI.(*h*) In Past. p. 2. c. 7.(*g*) 2. Tim. II.

arguebat Moysem, quia terrenis populi negotiis stulto labore serviebat: consulens ut ad iuris dirimenda alios constitueret judices, ut ipse liberiùs vacaret arcanis cœlestibus cognoscendis, ad populum erudiendum. Igitur à subditis inferiora gerenda sunt, à Rectoribus summa cogitanda: ut scilicet oculum, qui providendis gressibus præeminet, cura pulveris non obscureret: pedum namque est, pulvere involvi, monstruosum autem est, quod caput (id est Pastor) ad pulverem recurvetur, & cum eo involvatur (*i*). Et de his Pastoribus dicitur (*k*): Quomodo obscuratum est aurum, &c. *Et*: Lapidès Sanctuarii dispersi sunt in medio platearum, id est, in latitudine negotiorum terrenorum, relinquentes secreta Sanctuarii. Igitur concludit Gregorius (*l*), sacerdotalia negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, numquām verò ex amore requirenda: ne cùm mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de cœlestibus mergant. Ideò semper cavendum Pastoribus, ne dum temporali sollicitudini incaute deserviunt, & vehementer incumbunt, ab intimo amo-

(*i*) Tren. IV.(*l*) 2. p. c. 7.(*k*) Ibidem.

## 44. EX EPISTOLIS

re refrigerescant, & foras fusi, obliuisci non metuant se esse animarum Pastores.

Cavendum etiam (*m*) alterum extre-  
mum. Sunt enim (*n*), ait, quidam qui sic  
sibi vacare ad spiritualia appetunt, ut re-  
bus exterioribus nullatenus occupentur,  
quorum nimis prædicatio plerumque  
despicitur: quia subditis necessaria pro vi-  
tâ temporali non tribuunt. Egentia enim  
mentem sermo prædicantis non penetrat,  
quem misericordia ejus non rigat. Sic er-  
gò oves oportet interno pastu saginare (*o*),  
ut etiam eis exteriora provideantur. Ideò  
Paulus: Si quis autem suorum & maximè  
domesticorum curam non habet, &c. Igi-  
tur Pastores neque vehementer incumbant  
curis exterioribus, neque ex toto eas re-  
linquant. Et ad hoc adducit illud Ezechiel.  
44. ubi præcipitur Sacerdotibus, ut neque  
radant capillos, neque comam nutriant:  
sed dumtaxat tondeant. Per capillos enim  
externæ curæ significantur: quæ si nimis  
crescunt, oculos internos impediunt, ne  
videre possint. Non sunt ergò radendæ ex  
toto, sed tondendæ, id est, sub certâ  
mensurâ tenendæ.

---

(*m*) Idem.

(*n*) 2. Tim. V.

(*n*) In Past. 2.

A Pastoribus etiam (*p*) omnia prædicta optimè observantibus, diligenter cavendum, ne cupido placendi hominibus eos teneat: alioquin similes erunt adultero puerō, qui placere concupiscit oculis sponsæ Domini sui, per quem sponsus dona sponsæ transmisit. Ex hoc enim amore proprio, quo placere hominibus concupiscunt, procedit sāpē, quod non corripiant delinquentes, imo etiam aliquandò demulcent: quod, ut dicitur *Eze. 13*, est penerare cervicalia sub capite, & pulvillo sub cubitis delinquentium, & à rectitudine vītæ cadentium. Cūm enim ament gloriā mundi, & favorem hominum, blandè tractant illos etiam peccantes, qui in gloriā desideratâ possunt illis nocere. Contra eos autem quos adversū se nihil valere conficiunt, totâ austерitate & dominatione armantur, ut etiam hāc viâ gloriā venentur. Unde, *Ezech. 34*, Vos cum austētate imperabatis eis, & cum potentiâ.

Pura tamen (*q*) potest esse intentio appetentis ab ovibus diligi, scilicet ut in eis faciat fructum: ut dilectio & aestimatio sit quædam via, quâ ad amorem conditoris oves introducantur: non enim libenter au-

## lxv EX EPISTOLIS

ditur Prædicator , qui non diligitur. Non ergò Pastor quærat diligi pro seipso , sed ut possit libenter audiri. Et hoc modo (r) dicebat Paulus : Ego per omnia omnibus placebo ; cùm tamen etiam dicat , Si adhuc hominibus placerem , Christi servus non essem.

Valdè attendere debet Rector , quòd plerumque vitia , virtutes se esse mentiuntur , v. g. ait Gregorius , sub parsimoniæ nomine tenacia se palliat (f) : effusio , sub appellatione largitatis : inordinata remissio , creditur pietas : effrenata ira , zelus virtutis : præcipitata actio , aestimatur velocitas & efficacia : agendi tarditas , consilium gravitatis. Vigilanter ergò attendat Rector , ne putet se benè agere dūm peccat.

Prælatus peccans , tot mortibus dignus est , quot ad subditos suos perditionis exempla transmittit. Unde tantò cautiùs debet se à peccato custodire (t) , quantò pecando non solus tantùm moritur , sed omnium animarum , quas pravis exemplis destruit , reus est.

Tibi qui curam (u) animarum suscepisti , terribiliter intonat Salomon , *Prover. 6,*

(r) 1. Cor. X.

(t) Idem. Greg. p. 3. admo.

(f) Greg.

(u) Ibidem.

dicens : Fili , si spoponderis pro amico tuo , illaqueatus es verbis oris tui , &c. Fac ergo quod dico , fili mi , & temetipsum libera ; discurre , festina , suscita amicum tuum , ne dederis somnum oculis tuis , neque dormitent palpebrae tuæ. Dormit namque (x) Pastor , ait Greg. quandò omnino negligit curam subditorum : quia eorum acta neque scit , neque corrigit. Dormitat etiam , quandò cognoscit quidem quae reprehendi debent , sed pigredine deprimente ea dissimulat , ac propter mentis tedium , dignis ea increpationibus non emendat. Et sicut oculus dormitando ad plenum somnum ducitur , ita Pastor non refecans malum quod cognoscit , ad hoc pervenit , ut neque delicta subditorum agnoscat. Debent ergo Pastores esse sicut animalia illa plena oculis intus & extrà : intus , ut omnia propria delicta coram æterno Judice agnoscant & reprehendant : foris autem , ut quae in aliis sunt corrigenda reprehendant.

Cavere tamen valde debent , ait , subditi , ne contra facta (y) Pastorum murmurant : undè Judæis murmurantibus contra ipsum Moysem & Aaron , dicebat (z) : Neque contra nos est murmur vestrum :

(x) In Past. 5. p. adm.

(y) Exod. XVI.

(z) Idem. Ubi sup.

sed contra Dominum : nos enim quid sumus ? Unde David (\*) percussit cor suum , etiam de minimâ præcisione oræ vestis Saulis , qui Christus Domini erat , quâ designatur tenuissima laceratio , quæ verbis fit.

---

### *Collecta ex Epistolis Beati Gregorii.*

#### *Epistola quinta his verbis depingit onus suum.*

**S**UB colore Episcopatûs (a) , ad sæculum sum reductus : & in pastorali curâ tantis terræ curis inservio , quantis me in vitâ laicâ nequaquam deservisse reminisco . Alta enim quietis meæ gaudia perdi di , & intus corruens , ascendisse videor exteriùs , undè me à conditoris mei facie longè expulsum deploro . Conabar namque extra mundum , extra carnem fieri : cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere , & non solum vocibus , sed medullis cordis ad Dei speciem anhelans dicebam : Tibi dixit cor meum , quæsivi

---

(\*) 1. Reg. XVIII.

(a) Greg. ex regist. li. 1. Epist. 5.

vultum tuum : vultum tuum, Domine, requiram : nihil in hoc mundo appetens, nihil pertimescens. Videbar mihi (*b*) quodam rerum vertice stare : ita ut in me penè impletum crederem, quod per Isai. 54, Dominus promittit : Sustollam te super altitudines terræ, super altitudinem enim terræ sustollitur, qui ipsa quæ alta & gloria præsentis sæculi videntur, per mentis despectum calcat. A quo vertice corrui intenses & vapores, impulsus turbine hujus temptationis : quia & si mihi nihil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, multum formido. Undique causarum fluctibus quartior, ac deprimor tempestatibus, ita ut recte dicam : Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire ad cor desidero post causas, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus, redire non possum (*c*) : ita ut obedire nequeam voci Prophetæ : Redite, prævaricatores, ad cor; sed stultis pressus cogitationibus, solimodò exclamare compellor : cor meum derelinquit me. Et paucis interjectis, sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei mysteria prædicare, cum mihi difficile sit faltem recolere ? Pressus enim in hoc ho-

(*b*) Psal. 26.(*c*) Isaias 46.

nore , negotiorum sæcularium tumultu , ex eis me esse video , de quibus scriptum est : dejecisti eos dum allevarentur (*d*) : quia dum foris videntur surgere , intus cadunt , similes fumo , qui ascendendo deficit , & se dilatando evanescit . Ideò scriptum est (*e*) : Deficientes , quemadmodum fumus deficient (*f*) . *Et illud* : Deus meus , pone illos ut rotam ; rota enim in anterori bus corruens , in posterioribus elevatur : quia quanto elevantur in bonis præsentis vitæ , tanto in æternis corruunt . Et quamvis aliqui sint , qui sic exteriores proiectus regere sciunt , ut per eos nequaquam interius corruant : sed mihi hæc difficultia sunt , quia & valde onerosa : & quod mens sponte non recipit , congruè non disponit . Hæc ille . Et quia scribebat forori Imperatoris , concludit Epistolam his verbis : Imperator jussit ut simia fieret leo ; & quidem ejus provisio ne simia vocari leo potest , fieri autem non potest . Unde necesse est , ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi , sed suæ pietati deputet , qui virtutis ministerium infirmo commisit .

(*d*) Psalm. 72.(*f*) Psalm. 82.(*e*) Psalm. 36.

Deplorat etiam (*g*) , quod indignus & infirmus suscepit navem vetustam , & vehementer confractam (*h*) , in quam undique fluctus intrant , & quotidianâ ac validâ tempestate quassatæ , putridæ tabulæ naufragium sonant.

Idem sic ait (*i*). Dùm contemplationis dulcedinem altè describitis , ruinæ meæ mihi gemitum renovastis : quoniam audi vi quid intùs perdidì , dùm foris ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me percussum moerore agnoscite , ut vix loqui sufficiam : oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident. Triste est quidquid aspicio : quidquid delectabile creditur , cordi meo lamentabile apparet : penso enim qualiter ab alto quietis meæ culmine corruens , ubi dejectus sim (*k*) , & pro culpis meis in occupationis exilium à facie dominantis missus , quasi destitutæ viduæ vocibus cum Propheta dico : Qui consolabatur me , longè recessit à me.

Et in Epistolâ 7 (*l*). Depressus sum usque ad terram superposito onere , ita ut mentis rectitudinem funditus perdens , contemplationisque aciem amittens , per ex-

(*g*) Idem. Epist. 4.

(*h*) In Episc. Constan.

(*i*) Epist. 6. ad Patri.

(*k*) Psal. 68.

(*l*) Idem Anastasio Episcopo Antiocheno.

perimentum dicam (*m*). Incurvatus sum  
& humiliatus sum usquequaque : tanta  
quippè occupationum onera deprimunt,  
ut ad superna animus nullatenus erigatur;  
multis enim causarum fluctibus quatiōr,  
& tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor.  
**P**ericlitanti igitur mihi orationis vestræ ma-  
num tendite vos, qui in virtutum littore  
statis. Quòd verò me os Domini, quod  
lucernam dicitis, quod multis prodeſſe per-  
hibetis, hoc mihi ad iniquitatum mearum  
cumulum accedit, ut cùm vindicari in me  
iniquitas debuit, laudes pro vindictâ reci-  
piam. Et in fine Epistolæ vocat Anastasium  
cui scribebat, ut veniat ad convivendum  
secum Romæ : Quatenus, ait, dūm vos  
videre metuero, peregrinationis nostræ  
tædium, de æternâ patriâ invicem loquen-  
do, relevemus.

Consideranti mihi (*n*) quòd impar me-  
ritis, atque toto animo renitens, pastora-  
lis curæ pondera portare compulsus sum,  
caligo mœroris occurrit, & triste cor nihil  
aliud nisi eas quæ videre nihil sinunt tene-  
bras, videt. Nam quid Antistes ad Domi-  
num, nisi pro delictis populi intercessor

(*m*) Psal. 110.

(*n*) Id. Epist. 24. lib. 1. Episcop. Constan.

eligitur? Quâ igitur fiduciâ ad Deum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propriis securus non sum? &c. Imò formido illud, qui cùm is qui displaceat ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Et valdè pertimesco, ne commissa mihi plebs fidelium, reatûs mei additamento depereat, cuius nunc usque delicta Dominus æquanimiter tolerabat. Cùm verò utcumque hunc timorem supprimo, & consolatam mentem ad pontificalis operis studia accingo, considerata ipsa rei immensitate, deterreor. Si scriptum est (*o*): Mundamini qui fertis vasa Domini, pondera quâ munda conversatio debet esse illius, qui ad æternitatis templum vasa viventia in simu propriæ conversationis portat. Ideò rationale judicii percipitur Aaron gestare, quia cor Episcopale non cogitationes fluxæ, sed sola ratio constringere debet: in quo nomina duodecim antiquorum Patriarcharum erant scripta: quia vitas sanctorum Episcoporum semper in corde gerere debet, & secundum eas vivere, &c.

Et post multa subjungit (*p*): Suscepto itaque pastoralis curæ onere, cùm cuncta

(*o*) Isa. LII.

(*p*) Idem.

hæc, atque alia hujusmodi multa confidero, videor, quòd esse non possum, maximè quia hoc in loco quisquis Pastor dicitur, curis exterioribus graviter occupatur, ita ut sæpè incertum fiat, utrum Pastoris officium, an terreni Proceris agat. Et quidem quisquis regendis fratribus præest, vacare penitus à curis exterioribus non potest: sed tamen curandum magnoperè est, ne ab his immoderatè deprimatur. Igitur, fratres sanctissimi (Episcopos appellat, quibus scribebat), perventurum judicem vos rogo, ut lassescensem sub onere vestris orationibus juvetis, & oremus pro invicem, ut salvemur: quia dum nos vobis per orationis opem conjungimus, quasi ambulantes per lubricum vicissim nobis manus tenemus: fitque ex magnâ provisione charitatis, ut eò robustius singulorum charitas perfigatur, quòd in alterum alter innititur.

Quòd me ad Episcopatūs ordinem cognoscitis pervenisse, si me diligitis, plangite: quia hic hujus mundi tantæ occupationes sunt, ut per Episcopatūs ordinem penè ab amore Dei me videam esse separatum (q): quod incessanter defleo, atque

(q) Idem 30, ad Joan. Patric,

ut pro me Dominum exoretis rogo.

Dominus me à tanto hujus loci periculo  
qualiter voluerit absolvat: quia sicut pec-  
cata mea merebantur, non Romanorum,  
sed Longobardorum Episcopus factus sum,  
quorum synthiciæ spartæ sunt. Gemo quo-  
tidiè occupationibus pressus, & respirare  
non valeo. Ecce quò me patrocinia vestra  
perduxerunt: sed vos qui adhuc valetis,  
hujus mundi occupationes fugite: quia  
quantò in eo quisque profecerit, tantò,  
ut video, ab amore Dei amplius decrescit.

*Et Epistola 31. ad Philippum comitem,*  
qui dederat operam, ut ipse Pontifex crea-  
retur. In quantum, ait homo, discutere,  
& investigare judicia superna non sufficit,  
in tantum sub eis debent cervicem cordis  
inflectere. Et quia id quod sibi tribuitur (r),  
quo judicio disponatur, ignorat, nec ad  
appetendum locum procax existere, neque  
ad repellendum contumax debet inveniri.  
Unde indignus ego ad subeunda Episcopa-  
tūs onera, iussioni omnipotentis Dei,  
vestræque me voluntati subdidi, &c.

Tantis fluctibus quatior (f), ut vetus-  
tam ac putrescentem navem quam regen-

(r) Idem 31.

(f) Epist. 41. ad Leans Episcop. Hispan.

dam occultâ Dei dispensatione , suscepī ad portum dirigere nullatenūs possim. Ingemisco , quia sentio quòd negligenter īne crescit sentina vitiorum. Flens reminiscor quòd perdidī meā placidum littus quietis , & suspirando terram conspicio , quam tamen rerum ventis adversantibus tenere non possum.

Quomodo nolebat recipere munera (t), habes Epist. 64. ubi rescribens Felici Episcopo , dicit: Quoniam non delectamur xeniis palmatianis , quas tua direxit fraternitas , cum gratiarum actione suscepimus , sed eas , ne aliquod exindē potuisses sentire dispendium , digno fecimus pretio venundari: & id fraternitati tuæ transmisi-  
mus sigillatim.

Si sacerdotale officium (u) , quod accepimus securè ministramus , & divinum adjutorium , & spiritualium dilectio filiorum procul dubio nobis aderit. Propterea frater Episcope , testimonium bonum quod habes in civitate Neapolitanâ , bonitatis tuæ augmento roboretur. Igitur sic te debes in præfati populi adhortatione assiduâ occupatione constringere , ut verbi tui fructum ( quem in eis fueris operatus ) in

(t) Idem.

(u) Id Epist. 7. lib. 2.

Tuis horreis divinus condat agricola.

*Et in 12. (x) quia scribebat ei, quod celeriter crearet Episcopum Neapolitanum, respondet. Quia, ait, utilitates illius Ecclesiæ summâ cupio firmitate vallare, diuturnâ de hoc necesse habeo deliberatione tractare: ut eam dignâ possim ordinatione Christo revelante disponere. Et ibi cap. 69. dicit, quod nulla cura eum magis solicitabat, quam cum ad consecrandum Episcopum ejus expectabatur arbitrium.*

*Et capit. 68. asserit quod juxta meritum plebium solent superno judicio personæ provideri Pastorum.*

Episcopus cum omnibus hominibus summoperè debet procurare pacem; undē Gre. ibi cap. 91. Ego attestante mihi conscientiâ, fateor quia cum nullo homine habere scandalum volo, & quantâ valeo virtute declino: ego per elationem nihil quærō.

Animarum lucrum Deo nostro (y), totâ mentis intentione facere festinate: quia nomen Pastoris non ad quietem, sed ad laborem suscepimus. Exhibeamus ergo in opere, quod signamus in nomine (z): &

(x) Idem.

(y) Id. Epist. 15. ibid. 4. ad quemdam Episc.

(z) Matth. XVI.

tamen semper considerate illud. Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, &c. Igitur peritura penitus contemnamus, &c.

*Ibidem, Epistolā 32. (a) scribens Mauritio Cæsari super Joan. Episcopo Constantinopolitano, qui usurpabat sibi nomen universalis Episcopi, de superbiâ & fastu Episcoporum inter alia dicit. Quid dicturi sumus, qui populum Dei cui indignè præsumus, peccatorum nostrorum oneribus premissus? Corpus despectis vestibus legitur, & elatione cordis purpuram superamus: jacemus in cinere, & excelsa respicimus doctores humilitatis, & duces superbiæ, & ovinâ facie lupinos dentes abscondimus. Exclamare compellor: O tempora, ô mores! Ecce cuncta jacent, & tamen Episcopi qui in pavimento & cincere flentes jacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt. Ego, ait, cunctorum Sacerdotum servus sum, in quantū illi sacerdotaliter vivunt. Tumidi autem, qui contra statuta Patrum cervicem erigunt, in omnipotente Domino confido, quod cervicem meam sibi neque cum gladiis flecent.*

---

(a) Idem.

Pondera verò (b), & time quod de eodem Joanne dicit Epistola 38. quòd in principio cùm electus est ad Episcopatum Constantinopolit. voluit fugere, ne esset Episcopus: posteà verò ad hoc perductus est, ut despexit omnibus Episcopis, solus Episcopus esse appeteret, & procuraret appellari.

*Ibidem.* Quid sunt Episcopi (c), nisi astra cœli? Quorum vita simul & lingua, inter peccata erroresque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent?

*Ut habetur Epistolā 45. libr. 4. (d)* Gregorius coëgit quemdam Marianum monachum, omnino renitentem suscipere Episcopatum: Ideò scribit cuidam, quod confoletur eum: quia, ait, cuiuslibet officii valdè onerosa est novitas: præsertim quia post longa quietis otia, ejus procul-dubio novitas perturbabitur. Ideò peto, ut cùm venerit, tempestatum sæcularium procellas fugiens, semper apud vestram mentem portum quietis inveniat. Confido in Domino, quòd ad interiora illum exaucet: & ad exteriora gerenda confortabit.

*Epistolā 4. lib. 6. ad Episcopum Conf-*

---

(b) Greg. Epif. Constan.

(c) Idem.

(d) Idem. Ad Andream Scolast.

tantinop. qui dixerat se infirmum ad tantum onus , respondet. Prima virtus est cognitio infirmitatis , atque ex hoc colligimus vos bene posse suscepsum ministerium implere , quia hoc cognoscitis. Ille omnibus infirmior , qui suam non agnoscit infirmitatem.

*Ibidem Epist. 5. (e)* eundem exhortatur ad tolerandum onus pastorale , afferens illud: Si Christus pro omnibus mortuus est , restat ut qui vivunt , non sibi vivant , &c. Et quia ille scripserat in Epistolis suis , quod semper anhelabat ad mentis tranquillitatem & quietem , & ad fugiendam cogitationum perturbationem , respondet quod Pastor non potest funditus repellere perturbationem cogitationum & curarum terrenarum : quia scriptum est quod etiam gigantes gemunt sub aquis , id est , populis. Dicit tamen , quod huic curae modus ponendus est , ne nimis excrescat : quia boni Pastores , afflante Spiritu Sancto , inter medias turmas populorum & negotiorum non obruuntur , neque caput mentis submittunt : ambulant per siccum in medio mari , & impletur in eis illud Isai. 43. Cum transieris per aquas , tecum ero , & flumi-

na non operient te. Et quantum ad periculum officii pastoralis, & securitatem solitudinis, respondet quod ubique est periculum, & sola Dei gratia salvat. Nam Loth in perversâ civitate fuit justus, & in monte peccavit: Angelus etiam peccavit in cœlo, homo verò in Paradiso.

*Ibidem Epistolâ 29. (f) ad quemdam:*  
Ego te benè vivere scio, me autem multis peccatis oneratum novi: quod si tu etiam peccator es, me tamen multò melior, quia tu tua tantummodò peccata, ego & eorum qui mihi commissi sunt, porto.

Servi Dei præsentes (g) pascunt sapore conversationis & doctrinæ; absentes vero, odore bonæ famæ.

Pondera labores Pastoris terreni pro pecoribus servandis. Vide quid Jacob dicat Gen. 31. Viginti annis fui tecum, oves tuæ steriles non fuerunt, nec captum à bestiâ ostendi tibi, dieque noctuque æstu urgebar & gelu: fugiebatque somnus ab oculis meis, &c. Quid ergò nos facere par est pro ovibus Christi?

*Epistolâ 125. lib. 7. ad Leandrum, qui eum in Epistolâ laudaverat.* Nolite, ait,

(f) Idem ad Anastabium Pres.

(g) Idem.

me vocare Noemi , id est , pulchram ; sed  
vocate me mara , quia amaritudine plenus  
sum ; neque enim , bone vir , hodiè ego sum  
ille , quem nosti . Multùm fateor exteriùs  
proficiendo , interiùs cecidi . De illorum  
numero sum de quibus scriptum est ( h ) :  
Dejecisti eos dūm allevarentur : cùm ele-  
vatur enim , dejicitur ille qui honoribus  
proficit , & moribus cadit . Ego enim vias  
mei capit , id est , Christi sequens , sum-  
mopere esse decreveram opprobrium ho-  
minum , & abjectio plebis , atque ascen-  
sus disponere in valle lachrymarum , ut  
tantò verius int̄is ascenderem , quantò fo-  
ris per convallem lachrymarum humilius  
jacerem : At , me multūm nunc deprimit  
honor onerosus , curæ innumeræ perstre-  
punt : & cùm fese ad Deum animus colli-  
git , hunc suis impulsibus quasi quibusdam  
gladiis scindunt , nulla cordis quies est :  
prostratum & in infimis jacentem ac suæ  
cogitationis pondere depresso , nulla aut  
rara valde contemplationis penna in subli-  
mia levat . Torpet ignava mens , & cir-  
cumlatrantibus curis temporalibus , jam  
penè ad stuporem deducta , cogitur modò  
terrena agere , modò etiam quæ sunt car-

halia dispensare. Aliquandò verò studio exigente, compellitur quædam etiam cum culpâ disponere. Quid multa loquar? Vincta suo pondere sanguinem sudat, id est, culpam. Prospero flatu navigabam, quandò in Monasterio tranquillam vitam ducebam, sed procellosis subitò motibus tempestas exorta in suâ perturbatione me rapuit, & prosperitatem itineris amisi: quia perditâ quiete, naufragium mentis pertuli. Ecce nunc in undis versor, & tuæ intercessionis tabulam quæro, ut qui in navi integrâ dives pervenire non merui, saltem post damna ad littus per tabulam reducar. De podagræ verò dolore, quo scribis te afflictum, ego etiam affiduo dolore vehementer attritus sum. Sed consolemur, quia potius sunt dona, quam flagella dolores hi, quibus delicta purgamus. Præterea ex benedictione B. Petri mitto vobis pallium ad sola Missarum solemnia utendum. Hæc ille:

Qui per iter (i) hujus mundi vasa auri & argenti portat, hoc est, magna merita, caveat à latronibus, id est, dæmonibus de vanitate tantibus. Qui enim non potuerunt in principio impedire bona opera, ne fierent, postquam facta sunt, reducunt ea

in mentem , ut decepta mens admiretur quām sint magna quæ fecit , & sic ea perdat. Contra quem per Ezech. 16. dicitur : Habens fiduciam in pulchritudine tuā , fornicata es in nomine tuo , appetendo scilicet proprii nominis gloriam. Ideò contra eam ibi dicitur. 32. Quò pulchrior es , descendē , id est , cade à gratiâ meâ , nempe ob elationem tuam. Remedium ergò contra hoc est jugiter ad memoriam reducere propria delicta.

Væ qui culmen regiminis non ad officium portandi oneris suscipit , sed ad appetitum gloriæ & transitorii honoris. Væ qui dux christianæ militiæ fieri sustinet , nondūm veteranus miles , id est , diu exercitatus in omnium victoriâ. Episcopus est aurora oriens , quandò de novo venit , non ut præsit , sed ut profit.

Nos sub colore Eccles. (k) regiminis mundi hujus fluctibus volvimus , qui frequenter nos obruunt ; sed manu cœlestis gratiæ protegente , de profundo relevamus . Vos ergò qui in tantâ quietis vestræ serenitate tranquillam vitam ducitis : & securi quasi in littore statis , nobis navigantibus , aut potius naufragantibus , orationis

(k) Epist. 16. lib. 12. ad Abbatrem monis S. Iac.

manum tendite : & conantes ad terram viventium pergere , quantis potestis precibus , adjuvate.

Episcopus puniens (*l*) , debet assimilare patri carnali , qui filium flagellat , & tamen ei omnia bona sua servat , & eum hæredem habere desiderat . His ergò quos affligimus , dulcedinem charitatis in mente servare debemus .

*Et ad 7. interrogationem (*m*) Augustini Episcopi Angelorum dicit : Sancta Ecclesia in hoc tempore quædam per fervorem corrigit , quædam per mansuetudinem tolerat , quædam per considerationem dissimulat : ut sæpè malum quod adversatur , portando & dissimulando compescat .*

Quod ad Episcopos . (*n*) pertineat , illud : Videant opera vestra bona , ut glorificent patrem vestrum qui in cœlis est , &c. Nota verba Gregorii . Qui jam humanæ laudis concupiscentiam calcare sufficit , peccat , bona sua opera occultando : qui defraudat proximum à bono ædificationis , & assimilatur illi qui jacto semine , agit ne germiner . Qui autem intentione divinæ gloriæ ostendit opera sua , etiam ea quæ publicè facit , abscondit : quia cum soli Deo

(*l*) Idem .

(*m*) Idem ex Reg. lib. 12.

(*n*) Idem . Matth. 5.

in hoc placere curet, solum ipsum in tenuem censetur habere. Qui autem in opere occulto quod facit, desiderat deprehendi & laudari ab hominibus, hic in publico censetur fecisse opus suum: quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes quæsivit.

Caveat pastor (o) ne alios iuvando, se deserat: ne alios erigens, cadat; nam aliquibus magnitudo virtutis occasio perditionis fuit: nam virtus quando vitiis aliorum renitur, quâdam delectatione animus fibimet blanditur: quo sit, ut jam metum suæ circumspectionis abjiciat: & in quâdam securâ sui confidentia requiescat: cui jam torpenti seductor callidus omne quod bene gessit enumerat: eamque quasi cæteris præpollentem, in tumore cogitationes exaltat, sitque fovea mentis, memoria virtutis, cui dicitur, Ezechiel. 32. Quò pulchrior es, descendè, & dormi cum incircumcis. Et ibidem. Habens fiduciam in pulchritudine tuâ, fornicata es in nomine tuo, quærendo scilicet privatam laudem, & gloriam singularem. Igitur bonus Pastor nunquam aspiciat recta quæ agit; sed quæ agere negligit, semperque

se deorsum premat: ut dum cor ex memoriâ infirmitatis atteritur, apud humili-  
tatis auctorem robustius in virtute solide-  
tur.

---

*Sequuntur quædam ex Divo Bernardo  
ad Eugenium de consideratione.*

*Libro primo.*

**M**A X I M È condoleo occupationibus tuis, si tamen doles & tu: quod si non doles, tunc longè magis doleo: sciens longius à salute esse membrum quod obstruit, & periculosis laborare quod se esse ægrum non sentit. Absit ut de te id suspi-  
cer, ut potè assuetus deliciis dulcis quies-  
tis, ideo non potes dessueuisse tam citò, neque subito non dolere subtractas: quo-  
niām plaga recens, dolore non caret: non-  
dūm obcalluit vulnus, & versum est in ins-  
sensibile. Scio quod non deest tibi mate-  
ria justi doloris à quotidianis jacturis, im-  
vitus avelleris à tuæ Rachelis amplexibus:  
& quoties avelleris, toties renovatur do-  
lor: nihil tamen plus metuo tibi quam quo-  
per consuetudinem ad hoc devenias, ut  
jam non sentias dolorem, quoniām avel-  
leris à Rachele, & implicaris negotiis. No,

Si nimis credere affectui tuo qui nunc est: nihil tam fixum animo , quod neglectu tempore non obsolescat. Vulneri vetusto & neglecto callus obducitur , & eò insanabile , quò insensibile fit. Denique dolor continuus & acerbus diuturnus esse non potest : quia aut de remedio consolacionem accipiet , aut de assiduitate stuporem. Quid non invertat consuetudo ? quid non assiduitate duretur ? Primum importabile tibi videbitur onus negotiorum : processu temporis si assuescas , reputabis non adeò : paulò post leve fenties : post , neque fenties : paulò post , etiam delectabit : ita paulatim in cordis duritiam itur : & ex illâ in aversionem. Vereor ne in mediis occupationibus , quoniam multæ sunt , dum diffidis finem , frontem dures : & ita sensim te ipsum prives sensu justi utilisque doloris. Itaque multò prudentius erit , quòd te subtrahas occupationibus saltem ad tempus , quàm quòd patiaris trahi ab ipsis , & duci ad cor durum : quod semetipsum non exhorret , quia neque sentit quod compunctione & devotione non scinditur , pie tate non emollitur , &c. Nemo autem duris cordis salutem unquam adeptus est , nisi quem miserans Dominus , auferat ab eo cor lapidatum , & det ei cor carneum. Ad hoc te trahent maledictæ istæ occupationes ,

te totum dederis illis, nihil tibi relinquens. Volo esse tibi Jethro, ac dicere tibi: Stulto labore consumeris in tot occupationibus temporalibus, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ: nam fructus horum quid nisi arenerum telæ: de mane ad vesperam litigare, aut litigantes audire? Igitur si hæc deploras, emenda; neque te unquam ad ista duraveris quolibet usu vel assiduitate. Nolo quod in hoc habeas patientiam, imò impatientiam. Hebetati cordis indicium est propriam non sentire continuam vexationem ac servitutem. Itaque consul o tibi, non fias servus hominum, non consumas totum tempus in audiendo leges Justiniani, lites & cavillationes: dic. Narraverunt mihi (*a*) iniqui fabulationes; sed nomi ut lex tua. Tuum principale munus est ædificare Ecclesiam (*b*), docere populos, meditari in lege Domini; quæ sola est immaculata convertens animas. Non dico quod totum te subtrahas illis sæcularibus occupationibus; sed quod non tradas te totum, si es homo omnium, omnibus omnia factus, esto etiam tui: alioquin quid tibi prodest, si universos lucreris, & teip-

40 EX D. BERNARDO.

sum perdas? Habe igitur te, & si omnes  
veniunt ad bibendum de fonte tuo, bibe  
etiam & tu: tu solus sitiens permanebis?  
Qui sibi nequam, cui bonus? Itaque non  
totum te des actioni, neque semper; sed  
considerationi aliquid tui cordis, & tem-  
poris sequestra, vacans Deo: quia & ibi  
præordinas quæ agenda sunt secundum  
Deum, non præcipitanter fiant: ibi pri-  
mo scrutaris, & ordinas affectus & actus  
tuos, demum alienos. Itaque huic tam pio,  
quam utili otio nullam in vita operam da-  
re, vitam perdere est. Imitare Sanctum  
Gregorium, qui ultimam partem Ezechie-  
lis obscurissimam in otio exposuit, eo tem-  
pore quo urbs erat obsessa: & in summâ  
tempestate negotiorum, ut ex ejus præ-  
fatione liquet.

Non te, ait, ingeras judicare de terre-  
nis possessiunculis hominum: etiam con-  
temptibiores qui sunt in Ecclesiâ, illos  
constituite ad judicandum, dicebat Apos-  
tolus. Illæ autem causæ (c) graviores quas  
ad te intrare necesse est, assuesce breviter  
decidere: prædicens frustratorias & vena-  
torias dilationes: nihil enim ita absque la-  
bore, manifestam facit veritatem, ut bre-  
vis & pura narratio.

Causa viduæ intret ad te , causa pauperis , & ejus qui non habet quod det.

Multas causas etiam indignas audientia ;  
judica : ut illæ quæ præ se ferunt manifestam ambitionem. Si discipulus Christi es ,  
igneſcat zelus tuus , exurgat auctoritas tua  
contra generalem impudentiam ambitiosorum , &c. Flagella eos cum Christo , nec  
aures eis præbeas : timeant te nummularii ,  
nec fidant in nummis , sed diffidant : abscondant æs suum à te scientes te paratiorem ad effundendum , quām ad recipiendum.

Quatuor ergò tibi , ait , consideranda suadeo , scilicet te , quæ sub te sunt , quæ circè te sunt , quæ suprà te sunt. Primò nosce te : alioquin nihil tibi proderit scire mysteria omnia , si te nescieris. A te ergò incipiat consideratio tua : imò etiam in te semper finiatur. Quicquid se offerat , quod non pertineat ad salutem tuam , mox repudendum. De te ergò considera quis , & qualis sis. Abiectus eras in domo Dei , dictum est tibi , amice , ascende superius super gentes , ut probaret te , an amicus ejus sis. Non certè elevatus es ad dominandum , sed ut evellas , & destruas , & disperdas , & ædifices , & plantes. Nihil horum factum sonat , sed schemate quodam rusticani laboris , labor spiritualis ex-

pressus est. Sarculo tibi opus est, non sceptro. Absit quod deliciis resolvaris aut pompis. Non blandiatur tibi cathedra excelsa: est enim specula, unde omnia prospexit, unde sollicitudine urgearis omnium Ecclesiarum, non auri & argenti, quae in te abominabilis erit: non ut domineris. Planè enim Apostolis, & tibi interdicitur dominatus, cum dicitur: Reges gentium dominantur eorum, &c. vos autem non sic, &c. (d) Et Apostolus probabat se plus ministrum, quia (e) in laboribus plurimis, in carceribus abundantibus, in plagis supermodum, in mortibus frequenter, &c. Non licet tibi gloriari in cathedra: sed cum ipso Apostolo (f) in cruce Domini nostri Jesu Christi. Felix qui dicere potuit, plus omnibus laboravi. Et si labor terret, merces invitet. Exi ergo in agrum Domini tui, & vide quantis silvescat spinis & tribulis: accingere gladio tuo (quod est verbum Dei, & auctoritas puniendi), fac vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Filius es Apostolorum & Prophetarum, esto fide & moribus, per quae vicerunt & operati sunt justitiam. Valde tibi com-

(d) Luc. 22.

(e) Gal. 6.

(e) 2. Cor. XI.

mendo humilitatem : nulla splendidior gemma in ornatu Pontificis : quò enim cæteris excelsior, eò humilitate apparet illustrior. Item monstruosa res est, gradus summus, & animus insimus : sedes prima, & vita ima : sermo multus, fructus nullus : lingua magniloqua, manus otiosa : vultus gravis, & actus levis : ingens auctoritas, & nutans stabilitas.

Confer ergò tua posteriora prioribus : si in Pontificatu profecisti, in virtute, in sapientiâ, in intellectu, in suavitate morum, &c. an forte defeceris : si sis patientior, an impatientior folio : iracundior, an lenior : insolentior, an humilior : affabilior, an austerior : exorabilior, an difficilior : pusillior animo, an magnanimior : seriùs magis an plusculùm dissolutus : timoratior, an forte fidentior quâm oportet, &c. Oportet etiam quòd innotescat tibi zelus tuus, clementia tua, discretio quoque moderatrix earumdem virtutum : quâs sis in donandis injuriis, qualis in ulciscendis : quâm in utroque providus observator modi, loci, temporis : nam hæc tria sunt consideranda in usu virtutum harum, ne non sint virtutes : si præter hæc reperiantur : nam caligante oculo discretionis, una præripit locum alterius, seu occupat terminos. Procedit autem hæc caligo, vel

**E**x irâ præcipitante, vel ex molliori affec-  
tu censuram judicii enervante. Oculus irâ  
turbatus, nihil intuetur clementer, suffu-  
sus autem quâdam fluxâ, & muliebri mol-  
litie animus, rectum non videt. Non eris  
innocens, si punias eum cui fortè parcen-  
dum esset; aut parcas ei qui fuerat pu-  
niendus.

Examina etiam qualem te in tribulatio-  
nibus invenis, si constantem in tuis, si  
condolentem in alienis. Perversissimi cor-  
dis eris, si in tuis inveniaris impatiens, &  
in alienis incompatiens. Item si in prospe-  
ris, vel modicè animum relaxas à sui custo-  
diâ & disciplinâ, quod pauci vitant. Nam  
in incautis, prosperitas se habet ad disci-  
plinam, sicut ignis ad ceram, & radius  
solis ad glaciem: & facilius inveniuntur  
qui in adversitate retinuerunt sapientiam,  
quàm qui in prosperitate non perdiderint.  
Magnus ille est cui inter prospera faltem  
risus indecentior, aut sermo insolentior,  
aut immoderatior cura corporis vel vestis,  
non irrepsit. Nugæ sint longè ab ore tuo:  
nam inter sœculares, nugæ nugæ sunt; in  
ore Sacerdotis, blasphemiae: interdùm si  
incident, ferendæ fortassis, referendæ nun-  
quàm: imò magis interveniendum cautè  
& prudenter nugacitati, & prorumpendum  
in aliquid serium, quod utiliter & liben-

ter audiatur, & supersedeatur otiosis. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam illud aperire, illicitum; assuescere, sacrilegum est. Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul etiam ab aure relegandum: Fœdè ad cachinnos moveris, fœdiū moves; detrahere autem, aut detrahentem audire, quod horum damnabilius sit, non facile dixerim. De avaritiā non loquor, quia pecuniam quasi paleam dicaris habere.

*Quomodo Prælatus erga subditos se gerere debeat, ex eodem Bernardo ad Eugenium, de considerat.*

A D M O N E T eundem (<sup>a</sup>) Eugenium Bernardus, ut opprimat oppressores, ut puniat acriter injustè appellantes, scilicet quia appellant ad Sedem Apostolicam, non quia gravantur, sed ut gravent: Et ut talibus non solum non profit appellatio, sed etiam obsit: hoc est propter hoc graviter puniantur. Multa ibi invenies de

(<sup>a</sup>) Bernard. ad Eug. lib. 3.

malis, quæ sequuntur ex frivolis appellatio-  
nibus, lib. 3. Vehementer etiam ibi in-  
vehitur contra summum Pontificem, qui  
eximit subditos à jurisdictione suorum  
Prælatorum, & eos sibi facit immediatos.

*Ibidem* : Quid pejus impunitate vitio-  
rum? Impunitas filia est incuriæ, mater  
insolentiæ, radix impudentiæ, nutrix trans-  
gressorum.

Quartus liber (*b*) exponit, quomodo se  
debeat gerere erga domesticos & Romanos.  
Si dicis, Romani protervi & durissimi sunt,  
attende, ait, fac quod tuum est: non di-  
citur tibi, sana illum, sed curam illius ha-  
be. Et Apostolus (*c*) non dixit: Plus om-  
nibus fructificavi, sed plus omnibus labo-  
ravi, &c.

Vides, ait, omnem (*d*) ecclesiasticum  
zelum fervere pro solâ dignitate tuendâ:  
honori totum datur, sanctitati nihil, aut pa-  
rùm. Si causâ interveniente submissius age-  
re, ac socialius te habere tentaveris, absit,  
inquiunt, non decet: tempori non con-  
gruit, majestati non convenit, quam geras  
personam attendito. De placito Dei ultima  
mentio est, pro jacturâ salutis nulla cunc-

(*b*) Ibid. lib. 4.

(*c*) I. Cor. XV,

(*d*) Ibid. lib. 8.

tatio ; solum quod sublime est , hoc salutare dicunt , & quod gloriam redolet , id justum . Omne humile probro ducitur , ut facilius invenias qui velit esse humilis , quam qui velit apparere . Et tamen illi veri antiqui Pastores , qui se totos pascendis ovibus exponebant , nihil seipsis reputabant indignum , nisi quod saluti ovium obviare putarent : non quærentes quæ sua sunt , sed impendentes sua & seipso pro animabus . Unde Apostolus ait (e) : Ego autem libenter impendar , & supetim pendar ipse pro animabus vestris : Unica eorum pompa voluptas , quæstus erat parare Domino plebem perfectam . Imò omnibus modis fatigebant in multâ contritione cordis & corporis , in labore & ærumnâ , in fame & siti , in frigore & nuditate , &c. Hæc consueta fuerunt , nunc verò dissueta . Sed vide : Nunc perseverat eadem cura , sollicitudo , anxietas , æmulatio ; sed non tamen ad salutem animarum , sed ad alia comoda nostra . Igitur non erubescas Evangelium , opus fac Evangelistæ : manifesta illis veritatem . Si dicis , Irrident me evangelizantem : ideò tu magis insiste opportunè , importunè , clama , ne cesses , si forte

audiant, & quiescant. Et pondera quòd ad sceleratos præcipit clamare. Fateor populum justum usque adhuc durâ fronte, & indomito corde ; sed utrùm indomabili, nescio undè liquidò scire possis. Potest fore quod necdùm fuit. Si tu quidem diffidis, sed apud Deum non erit impossibile omne verbum. Si durâ fronte sunt, dura-to & tu è contra tuam ; nihil tam durum, quod duriori non cedat. Dominus ad Prophetam dicit (*f*) : Dedi frontem tuam du-riorem frontibus eorum. Explesti (*g*) par-tes tuas, si agis cum populo tuo, ut dicere possis : Popule meus (*h*), quid tibi de-bui facere, & non feci ? Si sic fecisti, ne-que profecisti, exi de Hur Chaldæorum, & vade, evangeliza aliis civitatibus.

Circa familiares verò (*i*), valdè illi com-mendat, ut sint boni viri. Neque, ait, te dixeris bonum malis innitentem : aut si bo-nus sis, bonitas tui folius quem fructum habere potest ?

Circa distributionem officiorum & be-neficiarum, tibi, ait, imputa quicquid pa-teris ab eo qui sine te potest facere nihil. In elegendis his (*k*), absit quòd attendas

(*f*) Ezech. 3.

(*h*) Zach. 4.

(*k*) Ibidem.

(*g*) Mich. 6.

(*i*) Bern. Eug. cons. I. 41

ad preces : consilio non prece hic agendum. Sunt quæ necessariò à nobis rogantium , aut extorquet importunitas , aut necessitas meretur ; at istud in his quæ nostra sunt. Ubi autem non licet quod volo facere , quis locus roganti ? Itaque pro quo rogaris , sit tibi suspectus : qui verò profe robat , jam judicatus est. Neque interest per se , an per alium quis roget. Adulantem , & ad placitum cuiusque loquentem , unum de rogantibus puta. Si ad talium blanditias cor tuum emolliri senseris , memineris scriptum ( l ) : Omnis homo primum bonum vinum ponit , sed cum inebriati fuerint , tunc id quod deterius est. Viri callidi & dolosi proprium esse solet , tunc prætendere humilitatem , cum aliquid obtinere voluerit. De quo scriptum est ( m ) : Est qui nequiter se humiliat. Verbosulum adolescentem , & studentem eloquentiæ , cum sapientiæ sit inanis , non aliud quam hostem justitiæ reputes. Pro his dicitur tibi ( n ) : Manus citò nemini imposueris. Tales elige quos postmodum eligisse non poeniteat , quia turpe est tibi sèpè retractare quid feceris ; & judicium tuum frequenter periclitari non decet. Quæ

( l ) Or. 2.

( m ) Eccl. 19.

( n ) I. Tim. III.

## 50 EX D. BERNARDO.

facere debes , prius diligenter tracta apud te , & cum his qui te diligunt , juxta illud , *Eccles. 32.* Omnia fac cum consilio , & post factum non poenitebis. Elige viros probatos , non probandos ; quia in curia potius deficiunt boni , quam meliorentur mali . Assume ergo potius cunctantes & renuentes , quam volentes & recurrentes. Compelle illos intrare qui praeter Dominum timent nihil , nihil sperent , nisi a Domino : in cunctis benè morati , qui sint in consilio providi , in jubendo discreti , in disponendo industria , in agendo strenui , in loquendo modesti , in adversitate securi , in prosperitate devoti , in zelo sobrii , in misericordia non remissi , in otio non otiosi , in convivio non effusi , in curia rei familiaris non anxious ; qui quod verecundè excusant , obstinatius non recusent ; qui vulgus non spernant , sed doceant ; divites non palpent , sed terreant ; pauperes non gravent , sed soveant , &c. qui orandi officium gerant , & in omni re plus fidant orationi , quam suæ industriae vel labori ; qui se amabiles præbeant , non verbo , sed opere ; se reverendos exhibeant , sed actu , non fastu ; qui humiles cum humilibus , duros dure arguant , malignantes coercent , reddant retributionem superbis ; qui non de dote viduae , & patrimonio Crucifixi , se vel

## *EX D. BERNARDO.*

suos ditare festinent ; qui si mittantur à te  
cùm legatione ad alia regna , non afferant  
pretiosa terrarum ; sed relinquant pacem  
regnis , quietem Monasteriis , Ecclesiis or-  
dinem , Clericis disciplinam , &c. Subdit-  
que ibidem pulcherrima quorumdam Le-  
gatorum exempla , qui redierunt pauperes ,  
neque munera accipere voluerunt.

Insuper diligenter guberna domum (o)  
tuam : nam ut dicit Apostolus (p) : Si quis  
domui suæ præesse nescit , quomodo Ec-  
clesiæ Dei diligentiam habebit ? Non quo  
minimis domūs tuæ intendas , cùm sis oc-  
cupatus maximis. Nullo ergo modo im-  
plices animum curis rei familiaris , ac re-  
rum tuarum , cùm oporteat te habere ani-  
mum liberum , quem nulla sibi vindicet  
violentia occupatio ; nobilem , quem nulla  
deorsum trahat indigna affectio ; firmum ,  
quem nulla concutiat repentina turbatio  
invictum , quem nulla fatiget etiam con-  
tinua tribulatio ; amplum , quem nulla  
coarctet rei temporalis amissio. Et hæc  
habere non poteris , si diviseris animum ,  
& partem dederis rebus Dei , partem  
regulis tuis. Alium ergo pone , qui pro-  
te molat , & solus implicitur. Nam quæ-

---

(o) Id. ad Eugen. de consideratione llii. 4.

(p) I. Tim. III.

**EX D. BERNARDO.**

dam per te solum agere debes , quædam  
per te simul & per alios , quædam per  
alios tantum , & in hoc postremo loco ,  
sunt curæ tuarum rerum temporalium :  
præfice iis fidelem servum qui non frau-  
det ; & prudentem qui non fraudetur , &  
da illi auctoritatem & facultatem pro libi-  
to agendi ; cui omnes obedient , & nemo  
illi dicere possit : Cur sic fecisti ? Clandes-  
tinæ & susurratas delationes non accipias  
adversus eum ; magis detractiones censreas .  
Et hanc vel in generalem tibi regulam con-  
stituas , ut omnem qui palam veretur dice-  
re quod in aure locutus est , suspectum  
habeas : quod si coram dicere noluerit ut  
tu judices , delatorem crede , non accusa-  
torem . Igitur tu illi præposito habeas fi-  
dem , ut tu tibi vacare possis , & Ecclesiæ  
Dei .

Si dicis , non invenio fidelem vel pru-  
dentem cui sic plenè fidam ; consulo quod  
potius sustineas minùs fidelem , quam quod  
te immegas labyrintho huic : Judas enim  
fuit œconomus Salvatoris .

*Idem , ibidem :* Sacerdotes domestici tui ,  
nisi honestiores cæteris sint , in fabulâ om-  
nibus sunt : Igitur in vultu , in habitu , in  
incestu illorum , qui circa te sunt , nihil re-  
sidere impudicum , nihil indecens patiaris .  
Et memento quod dicit Sapiens : Filiæ tibi

sunt, noli faciem hilarem ad eas ostendere. Non tamen suadeo tibi austerritatem, sed gravitatem, quia illa fugat infirmiores, hæc verò reprimit leviores: illa quidem si adsit, facit odibilem, hæc si deficit, facit contemptibilem; in omnibus tamen modus melior. Ego, nec severius velim, neque dissolutius. Quid hâc mediocritate gratius, ut non de severitate sis oneri, neque de familiaritate contemptui? Ad hoc semper est necessaria custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ubique ergo frænanda lingua præceps, præfertim in convivio. Igitur actus severus, vultu serenus, verbo serius: ament te domestici tui; si non, fac ut timant. Provide capellanis in necessariis; vide ne egeant.

Tales studeto habere familiares (*q*), qui si velles aliquatenus deviare, non sinerent, frænarent præcipitem, dormitantem excitarent, quorum libertas excedentem corrigeret, extollentem reprimeret; quorum constantia & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem; quorum sanctitas, ad omnia te bona incitaret.

In fine hujus quarti libri (*r*) docet quo-

(*q*) Idem, de considerat. l. 4.

(*r*) Idem,

modò se habere debeat cum potentibus ini-  
quis : Quando , ait , malitiæ juncta est po-  
tentia , aliquid tibi super hominem præsu-  
mendum est . Vultus tuus super facientes  
mala . Timeat spiritum iræ tuæ , qui ho-  
minem non veretur : timeat orationem  
tuam , qui admonitionem contempsit ; qui  
irasceris tu , Deum sibi iratum , non ho-  
minem , putet .

Familiares tui , si non sunt spirituales ,  
non diligunt te , sed tua : imo nec te , nec  
tua , sed quæ sua sunt , quærunt ; & ea ve-  
nantur adulationibus , &c.

*Collecta ex Epistolis Bernardi , &  
aliis ejusdem operibus.*

**S**i rebus raritas pretium facit (a) , nihil  
in Ecclesiâ pretiosius , nihil optabilius bo-  
no utilique Pastore : nempè rara avis est  
ista , quem propriæ cura animæ non im-  
pedit à sollicitudine commissarum , aut re-  
tardat ; qui non quærit quæ sua sunt , ne-  
que quod sibi utile est , sed quod multis .

Quod si talis ad regimen animarum af-

(a) Bern. Serm. 10. super Cant. ob. msbl (a)

sumitur, qui se neque ad congaudendum, sentit prouum, neque promptum ad condolendum, talis quidem aliis non prodest, sibi obest plurimum: pascat autem gregem exemplo ædificationis, verbo prædicacionis, fructu orationis: habeat tria, scilicet, bonitatem, disciplinam, & scientiam. Prima dat exemplum, secunda corripit, tertia instituit.

Eget Pastor eruditione, sed multò magis unctione, quæ sola docet de omnibus. Eget vigore & fervore: vigore quidem, nec cedat tribulationi, sed pro justitiâ persecutionem viriliter sustineat: fervore autem, ut nullis capiatur voluptatibus, nullis illecebris enervetur, jam non sibi vivere studens, sed ei qui pro eo mortuus est. Cum infirmantibus infirmetur, uratur cum scandalizatis, fiat etiam, si oportet, Judæis Judæus, cum Job sit frater draconum, & socius struthionum; non timeat pro fratribus cum Moyse deleri de libro vitae, & cum Paulo anathema esse à Christo.

*Idem*: censura numquā remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit. Vigor justitiæ semper servidus, sed numquā præcepis, non enim omne quod licet, statim expedit. Æstuet zelo charitas (<sup>b</sup>),

(b) Matth. 24.

alioquì improbè præest qui non prodest.  
Fidelis, ait Dominus, servus quem conſtituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Vide, ait idem, quia conſtitutus es non ad imperandum, ſed ad diſpenſandum.

*Et Serm. 38. super Cantic. Acceptatio Prælaturæ procedere debet ex quâdam intimâ ſtimulatione ſollicitante nos, æmulari fraternam ſalutem, æmulari decorem domûs Domini, incrementa lucrorum ejus, incrementa frugum iuſtitiæ ejus, laudem & gloriam ejus, ut eyellat & deſtruat, ædificet & plantet.*

Tu autem, frater (c), quânam dementiâ aliena curare autem vis, aut acquiescis, cui adhuc nullâ aut tantillâ charitatis, ut fervore liquefcas, pavore deficias; per turberis tristitiâ, avaritiâ contraharis, pro traharis ambitione, convitiis exagiteris, curis evifcereris, honoribus tumeas? &c. Demùm, ait, periculofiffimè promovetur qui nondùm adeptus eſt plenam charitatem, etiam aliis virtutibus pollere videatur, etiamfi habuerit omnem ſcientiam, & dederit omnem ſubſtantiam pauperibus; &c.

(c) Idem ſuper Cant. Serm. 18.

*Idem, in Epist. 42. ad Henric. Episcopum Senonen.* fingit carnali Pastori oves, id est, populum dicentem: Si instar mei qui ovis sum, Pastor meus etiam curvus graditur, vultum gerens deorsum, & terram semper respiciens, & soli ventri mente jejonus, pabula quæritans, in quo discernimur? Si venerit lupus, quis prævidebit & occurret? Quid indecentius, quam quod Pastor more pecorum sensibus incubet corporis, hæreat infimis, inhiet terrenis, & non erectus stet ut homo, suspiciens cœlestia, quæ sursum sunt quærens & sapiens, non quæ super terram?

Dic mihi, Sacerdos (*d*), qui amas pretiosum habitum, quæris placere Deo, an mundo? Non quidem Deo: Si vero mundo, cur ergo Sacerdos? Nam si Deo non places, neque illum placas: si non placas, cur Sacerdos?

Væ, ait idem, Ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, negotia reconciliationis alienæ apprehendunt, quasi homines qui justitiam fecerint. Væ filiis iræ, qui se Ministros gratiæ profitentur. Væ, qui nihil habent de spiritu mansuetudinis: quod præoccupatos in aliquo delicto possint instituere, considerantes seipso, ne & ipsi

(*d*) Idem, ibidem.

tententur. Procul ab eis viscera misericordiaæ: sævire potius, & tyrannos se exhibere lætantur: quæstum æstimant pietatem: transitoria damna valde timent, quia temporalia lucra sectantur, nolunt sustinere persecutionem propter justitiam: quoniam magis terrenam mercedem quærunt, quam justitiam.

*Idem, Epist. 24.* Curritur ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus fit, cum ad curas pervenerit. Et qui nondum has curas experti sunt, videntes alios qui jam humeros submiserunt huic sarcinæ, non solum non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari: non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati, non vident. Quæ ista infania est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa judicii? Quò ascendis miser? Ut ab altiori gradu sit casus gravior? Neque enim paulatim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehementi, quasi alter Satanæ, subditò dejicieris. Non cunctantâ alacritate current ad honores, si esse sentirent & onera: gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore & periculo dignitates affectarent; affectant autem, quia sola attenditur gloria, non poena. Væ tibi, Episcope, quia peccata populi con-

medis, ac si propria tibi minùs sufficere viderentur. Dic mihi, quantūm desudas, ut gemitibus, orationibus, pœnitentiâ, prædicatione, &c. diluas peccata illorum quorum bona comedis? Veniens miser ante tribunal Christi, & audietur gravis querela populorum, accusatio dura eorum quorum vixere stipendiis, neque diluere peccata: quibus facti sunt duces cæci, & fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt, quid divitiæ illæ oblectant oculos, quibus mercaris tam grave iudicium, tam duræ temetipsum obligans rationi? Universa quidem usque ad quadram novissimum exigeris. Non licet tibi de facultatibus Ecclesiæ luxuriari, & in superfluitatibus consumere, sed solum vivere; non licet ditari, non licet consanguineos extollere, non licet palatia ædificare. Denique quidquid præter necessarium victimum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

*Idem*, res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur: nam patrimonia sunt pauperum facultates Ecclesiarum, & sacrilegâ eis crudelitate surripitur, quidquid Ministri, & dispensatores ultrâ victimum accipiunt, & vestitum. Neque enim ordinavit Deus his qui Evan-

gelio serviunt, de Evangelio quærere di-  
vitias, vel ornatum: sed vivere ex eo, ut  
scilicet sint contenti alimenta corporis,  
non gulæ irritamenta, & quibus tegantur,  
non quibus ornentur, accipere. Quis, ait,  
(e) rapuit ab ore Apostolorum hoc ver-  
bum gratiæ & fiduciæ; ecce nos reliqui-  
mus omnia & secuti sumus te? Ecce enim  
ut populus, sic Sacerdos, similiter volunt  
divites fieri: imò abundantiis hanc quæ-  
runt consolationem: similiter amici egent,  
ut in aliena tabernacula recipientur, ut potè  
propria non habentes.

Contra Episcopos immemores sui officiū  
pulchrè agit Bern. super cant. sermo. 10,  
& 33, & 77, & in ser. Conversionis sancti  
Pauli, & in Epistol. 42. ad Henricum  
Episcopum.

*Idem*, Epistolā 201 (f). Narrat hīc, quo-  
modò quidam Abbas conditione timidus  
& verecundus, excusabat se à prædicando  
& gubernando: allegans suam indignita-  
tem, &c. cui ille inter cætera dicit; neque  
sterilis verecundia grata est, neque humi-  
litas præter veritatem laudabilis, officium  
tuum attende; pelle pudorem considera-

(e) Matth. XIX.

(f) Ber. Epist. ad Balduinum Abbat.

tione officii. Sed non sum, inquis, ad ista sufficiens; quasi verò devotio accepta non sit ex eo quod habes, non ex eo quod non habes? De solo tibi credito talento respondere tibi para, securus de reliquo: si multum accepisti, da multum; quod si modicum est, & id tribue. Etenim qui in modico fidelis non est, neque in maximo, totum da, quia totum repetendum est, usque ad novissimum quadrantem: sed sàne quod habes, non quod non habes.

*Bernard. Epist. 236. ad Cardinales, quia elegerant in Papam, Abbatem filium suum Eugenium, inter cætera, sic dicit: Potuit contingere quod de benè placito Domini fieret hæc electio: sed non sum securus, quoniam filius delicatus est, & tenera verecundia ejus, affueta potius otio & quieti, quam tractandis quæ foris sunt, timendumque, ne non eâ auctoritate quâ oportuerit, sui Apostolatûs officia exequatur. Quid putatis gerere animi, nunc hominem illum, qui de secreto internæ contemplationis & amicâ solitudine cordis, tanquam infans è gremio & sinu matris, subito perturbatus, tractum se ad medium videt, & quasi ovem ad victimam ductum, ad tam insueta & insuavia, nisi Dominus supponat manum suam? Heu necesse est obruiatur, & opprimatur onere insueto &*

mio, formidabili gigantinis, & angelicis humeris.

*Ad eundem Eugenium (g) Epistolâ 137:*  
 inter cætera sic dicit : Alioquin per quem alium hæc tam debita libertas, loquitur de libertate spiritus quæ debet fulgere in Pastore, sperabitur, si & tu, quod absit, in Christi hæreditate quæras quæ tua sunt, qui jam & ante didisceras, non dico tua non retinere, sed nec tuus esse ? Ergo fiduciam talem habens in te, qualem in nullo Prædecessorum tuorum, à multis retrò temporibus visa est habuisse omnis Ecclesia Sanctorum, ideo exultat in te &c. Et ego exultavi, fateor, sed cum tremore exultavi; sed in ipso exultationis meæ articulo, timor & tremor venerunt super me. Confidero gradum, & casum vereor : considero fastigium dignitatis, intueor faciem abyssi jacentis deorsum ; attendo celitudinem honoris, & è vicino periculum reformido, pro eo quod scriptum est (h) : Homo, cùm in honore esset non intellexit, quia scilicet honor absorbuit intellectum. Altior rem sortitus es locum, sed non tutiorem ; terribilis prorsus, terribilis est locus iste ; terra in quâ stas, terra sancta est ; ubi se-

dit Petrus egregius magister, qui docuit terrena calcare, qui excussum manus suas ab omni munere, qui dicebat de corde puro, & conscientiâ bonâ: Argentum & aurum non est mihi. Et post aliqua: Quis (*i*) mihi det antequam moriar videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis; quando Apostoli laxabant in capturam, non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum; quâm cupio illius te hæreditare vocem, cuius adeptus es sedem, pecunia tua tecum sit in perditionem! O vox tonitrua (*k*): ô vox magnificentiæ & virtutis, ad cuius terrorem confundantur & convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion! Hoc desiderant, hoc suspirant omnes pii, ut omnis plantatio quam non plantavit Pater cœlestis, eradicetur. Ad hoc constitutus es super gentes & regna, ut evellas, & destruas, & ædifices, & plantes. Auditâ electione tuâ, multi dixerunt, jam securis ad radicem arborum posita est; confor-tare igitur, & esto robustus; manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Vendica igitur tibi animi constantiam & vigorem, quia hæc est pars quam Deus dedit tibi extra fratres tuos, quam tulit de manu Amorræi, &c.

*Et ad eundem*, Epistolā 239 (1), quia  
quædam opera justitiæ strenue exercuerat,  
deponendo indignos, congaudens illi, ani-  
mat ad similia, dicens : Siquidem in rui-  
nam & resurrectionem multorum ascen-  
distis hanc cathedram, ruant, ruant qui  
noxiè stant, erigantur digni ; ponatur se-  
curis ad radicem sterilium plantationum ;  
præsidente humili Eugenio, deponantur  
superbi de sede, & exalentur humiles ;  
esurientes impleantur bonis, & divites di-  
mittantur inanes.

*Idem*, Serm. super Cant. deplorat quod  
postquam factus est Abbas, non potest di-  
ligenter custodire vineam propriam, id est,  
animam suam. Væ mihi, ait, à periculo  
animæ meæ, quoniam vineis alienis in-  
tentus, minus circa vineam meam dili-  
gens, minisque sollicitus fieri cogor : nec  
sepem circumdare, nec torcular fodere in  
eâ licet. Heu, destructa est maceria ejus,  
& vindemiant eam omnes qui prætergre-  
diuntur viam ; patet exposita tristitiae, ira-  
cundiæ, atque impatientiae pervia. Demo-  
liuntur eam sedulæ quædam vulpeculæ,  
instantium necessitatum ; irrumpunt undi-  
quæ anxieties, suspiciones, sollicitudi-

nes, turbæ discordantium, causarum molestiæ rara hora desunt: non est prohibendi facultas, non copia declinandi, sed nec orandi spatum. Quo imbre lachrymarum perfundere sufficiam sterilitatē animæ meæ? Omnes palmites ejus aruerunt præ inopiâ; jacent sine fructu, eò quòd non habeant humorem. Jesu bone, quot fasciculos sarmmentorum ex eis, in tuo quotidiè sacrificio ustio contriti cordis mei, tè teste, absunit!

Contra eos (*m*) qui se ingerunt Prælaturis, dicit in eodem Sermone: Miror audaciam plurimorum quos videmus de suis vineis non colligere, nisi spinas & tribulos; vineis tamen dominicis, etiam se ingerere non vereri: fures sunt & latrones, non custodes, nec cultores.

*Idem*, Serm. 42. super Cant. egregiè probat, quòd quandò Pastor arguit, & monet omni diligentia peccatorem, tamen ille non proficit, non debet consolationem accipere, quasi jam perfecerit officium suum; sicut neque mater consolatur, videntis filium suum morientem, quamvis in ejus curatione fuerit diligentissima: quia intentio Prælati non debet esse servare

propriam animam , sed animas filiorum ;  
quas ubi non viderit incolumes , non de-  
bet admittere consolationem.

Lege Serm. 52. super Cantic. (n) ubi  
arguit Prælatos qui non possunt ferre nisi  
optimos subditos. In quibus , ait , proba-  
bis tuam patientiam , si omnes inquietos  
excluseris ? Quibus adhibebis diligentiam  
disciplinæ , si omnes indisciplinatos vel ef-  
fugaveris , vel fugeris ?

*Idem* , Serm. 57. super Cant. sic dicit :  
Hoc habet vera & casta contemplatio ,  
quod mentem quam divino igne vehemen-  
ter succenderit , tanto interdùm repleat  
zelo & desiderio acquirendi Deo , qui eum  
similiter diligent , ut otium contemplatio-  
nis pro studio contemplationis , libentissi-  
mè intermittat : Et rursùm potita votis ali-  
quatenùs in hâc parte , tantò ardentius re-  
deat in idipsum , quantò fructuosiùs inter-  
misisse meminerit. Et item sumpto con-  
templationis gustu , valentiùs ad conqui-  
renda lucra , solitâ alacritate recurrat. Cæ-  
terùm inter has vicissitudines plerumque  
mens fluctuat , metuens & vehementer  
exæstuans , ne fortè alterum horum , dùm  
suis affectionibus hinc indè distrahitur ,

(n) *Idem* , Bern.

plus justo inhæreat ; & sic in utrolibet ,  
vel ad modicum à divinâ deviet voluntate. Æstuat ergò graviter vir sanctus inter  
quietem contemplationis , & fructum ope-  
ris seu prædicationis ; & semper gemit ,  
vel de perturbatâ quiete ob actionem , vel  
de neglectâ fructuosâ actione ob quietem  
contemplationis ; semper de his pœnitenti-  
tiam agens , & singulis momentis cum ge-  
mitu , Domini inquirens voluntatem . Nam  
unicum in hujusmodi remedium seu refu-  
gium oratio est , & frequens gemitus ad  
Deum ; ut quid , quandò , quatenus nos fa-  
cere conveniat , demonstrare assidue velit.  
Ideò talis anima tribus titulis à sponso dona-  
tur : appellatur enim Amica mea (o) , quia  
intendit lucris sponsi prædicando & ope-  
rando : Formosa mea , ob fulgorem con-  
templationis : Columba mea , quia jugiter  
gemit timens in singulis displicere sponso.  
Igitur , inquit , perfectus eris , si hæc tria  
habueris ; si pro te gemas ; si proximo uti-  
liter subvenias ; si in divinâ contemplatio-  
ne exultes. Huic ergò dicit sponsus (p) :  
Surge , amica mea , scilicet à somno con-  
templationis , quem in sinu meo gustasti ,  
& veni ad quæstum & lucra animarum.

Jam enim hyems transiit, &c. id est, jam cessarunt impedimenta, & est jam tempus commodum prædicandi. De hoc vide ibi Serm. 58, ubi dicit (*q*): Quod quoties illum qui tenetur prædicare ex officio, stimulat conscientia ad quærenda lucra animalium, toties intelligat adesse sponsum invitantem eum ad putationem & cultum vinearum, id est, animalium seu Ecclesiarum; ut evellat & destruat, ædificet & plantet, arguat, obsecret, increpet. Adolescentulæ (*r*), de quibus in Cant. sunt animæ infirmæ, quarum non est numerus, quarum gerit curam sponsa, id est, anima sancti Pastoris, propter sponsum; tanquam magister & mater, & semper cum illis est, quoties cum sponso non est.

*Idem Bernard.* Serm. 76. super Cantic. & Serm. 77. dicit, quod qui dimittit oves sine custode, non est Pastor ovium, sed luporum.

*Idem*, Ser. 85. super Can. spirituales matres, id est, sancti Pastores habent duo genera pariendi, ex quibus accipiunt diversas soboles, videlicet prædicando pariunt animas, & meditando pariunt spirituales intelligentias. Et in hoc secundo genere in-

terdum exceditur, & seceditur etiam à corporeis sensibus, ut sese non sentiat, quæ verbum sensit. Hoc fit cum mens ineffabili verbi illecta dulcedine, quodam modo se sibi furatur: immo rapitur, atque elabitur à seipsâ, ut verbo fruatur. Aliter sanè afficitur mens fructificans verbo, aliter fruens verbo; illic sollicitat necessitas proximi, hîc invitat suavitas verbi. Et quidem læta in prole mater, sed in amplexibus sponsi lætior, chara pignora filiorum, sed oscula plus delectant. Bonum est salutare multos; accedere autem & cum verbo esse, multò jucundius. At quandò hoc, aut quandiu hoc? Dulce commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum. Quæris, ô curiose, quid sit hoc verbo frui? quære ab experto, aut si mihi experiri datur, putas me posse eloqui quod ineffabile est? Para ergò verbo non aurem, sed mentem; non docet hoc lingua, sed gratia.

In Epist. 271 (f). ad comitem Theobal. habes regulam ad multa: nam hic omnes magnâ amicitiâ, magnisque collatis beneficiis toto ordini valde sibi Bernard. devinxerat, pro quo etiam & pulchra scripsérat Pontifici summo. Accidit ergò, quod

## 50 EX D. BERNARDO.

comes hic rogarât Bernardum ut vellet intercedere apud Pon. quò filius suus nondùm adultus, dignitatem quandam Ecclesiasticam adipisceretur; ad quod respondit Bernard. negans omnino ei auxilium in hâc parte, quia, inquit, proculdubio offendô Deum si facio quod requiritis: quem si offendô, non est cur me diligatis? Cùm solùm propter Deum me tantillùm tantus Princeps diligatis.

Ibi etiam dicit (1), quòd nulli adulto licet habere plures honores, aut dignitates in pluribus Ecclesiis, nisi dispensatoriè, videlicèt ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personæ utilitatem. Et concludit Epistolam, dicens: Ubi verò emerserit quod secundum Deum habere possit, probabo me amicum, & operam mēam si opus fuerit, non negabo.

*Idem*, in Epistolâ 276. ad Eugenium, consulit ei, ut irritet testamentum, etiam non servato ordine juris, quod quidam Episcopus vir bonus fecerat; in quo relinquebat ea quæ habebat cuidam nepoti, instigante ad hoc maligno quodam, cum Episc. esset turbatus, aut stupidus. Et ne opponat quis quòd oporteat in hoc pro-

cedere ordine juris, respondet, ordinatissimum est, minus interdum ordinatè aliquid fieri: nam qui sanè sapiunt, claves vestras alteram in discretione, alteram in potestate constituunt.

*Idem, in Epistola 2 (u).* Bona mater charitas in Pastore, cum arguit, mitis est; cum blanditur, simplex est; pie solet saevire, sine dolo mulcere, patienter irasci, humiliter indignari.

*Idem, in Epistola 24. ad magistrum Gilbertum Episcopum Londoniens. qui omnia sua disperserat, & pauperibus erogaverat.* Sermo, ait, quem audivimus, magnum dedit suavitatis odorem. Extincta est avaritia, cui non suave redoleat? Charitas regnat, qui dulce non sapiat? Tali testimonio oportebat tuam Philosophiam clarescere, & hoc fine tua præclara studia compleri. Non fuit magnum quod magister Gilbertus fieret Episcopus; sed Episcopum Londonensem pauperem vivere, id planè magnificentum: non enim tanto non mini aliquid augere potuit sublimitas dignitatis, auxit autem plurimum humilitatis, paupertatis. Dispersisti pecuniam; quid est pecunia ad justitiam, quam pro eâ com-

72 EX D. BERNARDO:

mutâsti? Justitia, inquit, ejus (*x*) manet in sæculum sæculi. Num ita pecunia? Igitur laudabile principium, condignum consequatur finem, & cauda hostiæ, capiti conjungatur.

*Idem*, *Epistola* 25. ad Archiepiscopum Rothomagen. qui fuerat assumptus ex ordine Cluniacensi. Benignè, ait, si non dissimiles, egit tecum superna misericordia; providâ namque dispensatione non priùs præfectus es malis, quâm sociatus bonis, quorum confortio & exemplo fieres bonus; ut sic postea etiam ipse malos vivere bonus posses, quod est tantæ virtutis, quantæ est difficultatis, tangere picem, & non inquinari ab eâ. Ideò David dicebat (*y*): Habitavi cum habitantibus Cedar; non dixit: Habitavi in Cedar, quia quamvis ipse corporaliter habitaret cum habitantibus Cedar, ipse tamen in lumine erat. Non sic illi de quibus ipse dicebat (*z*): Commisi sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, &c. Igitur esto patiens, qui non vincaris à malo, & esto pacificus, ut vincas in bono malum: esto patiens, quia es cum malis; esto pacificus, quia præs ma-

(*x*) Psal. 111.

(*y*) Psal. 119.

(*z*) Psal. 105.

Ms. Habeat charitas zelum , sed adhibeat  
*pro tempore modum severitas.* Censura  
 quidem nunquam remissa , intermissa ta-  
 men plerumque plus proficit ; vigor justi-  
 tiæ semper fervidus , sed nunquam præ-  
 ceps ; sicut non omne quodlibet licet , sic  
 non omne quod licet , statim expedit.

*Idem , ad Episcop. Lausanen. Epistol. 26.*  
 Manum vestram misisti ad fortia , opus  
 est fortitudine ; speculator domûs Israël fac-  
 ti estis , opus est prudentiâ , &c.

*Idem , ad Episcopum Gebenen. Epist. 28.*  
 Omnia fac cum consilio , nec tamen om-  
 nium aut quorumcumque , sed tantum bo-  
 norum. Bonos in consilio , bonos in obse-  
 quio ac contubernio , qui vitæ & honestati-  
 tis tuæ custodes sint & testes.

*Idem , ad Theobal. Episc. 37.* De exequen-  
 dâ justitiâ quandò culpa tam aperta atque  
 inexcusabilis videtur , quòd nulla nisi cum  
 justitiæ periculo misericordiæ occasio re-  
 linquatur ; etiam tunc cum tremore & do-  
 lore exequenda est justitia , scilicet ut ju-  
 dex magis compulsus officii necessitate hoc  
 agat , quam vindicandi libidine. Ubi au-  
 tem objectum crimen , aut minus certum  
 esse cognoscitur , aut excusandum suscipi-  
 tur , hoc libentissimè amplectendum est ,  
 quia salvâ justitiâ , pietas locum invenit.

*Idem Epist. 42. ad Archiepisc. Senonens.*

D.

tractat de perturbatissimâ vitâ Episcop. Et primò dicit (*a*) : quòd Episcopi comparentur his qui descendunt in mare , facientes operationes in aquis multis ; qui ascendunt usque ad cœlos , descendunt usque ad abyssos , & animæ eorum in malis tabescunt ; turbati sunt & moti sicut ebrii , & omnis sapientia eorum devoratur. Si ego , ait , solus mihi ipsi sum scandalo , solus tædio , solus oneri atque periculo , quibus ergò molestiis angitur ? Quibus lacescitur injuriis ? Cui etiam & si propria cefsent , numquàm tamen de alienis desunt foris pugnæ , intùs timores.

Ibi etiam monet (*b*), quòd Episcopus non admittat ad consilium , nisi eos homines qui & boni viri sint , & prudentes. Et laudat eum , quòd acceperit in consiliarios duos Episcopos comprovinciales , qui tales erant. Horum , ait , acquiescendo consiliis , neque præceps eris in sententiâ , neque vehemens in vindictâ , non in corrèndis remissior , non severior in parcendis , non pusillanimis in expectandis , non citus ad promittendum , non ad reddendum tardior , neque prodigus dator , &c. *Ibidem*. Prohibes me , quia ovicula sum , de Epif-

(*a*) Psal. 106.(*b*) Idem.

copis judicare , utinam & oculos mihi clauderes , ut neque cernere possem , quæ contradicere prohibes . Si video lupas sævissimas , scilicet curiositatem & vanitatem , irruere in Pastorem meum , cur non infremam , ut ad meum fortè balatum cruentis in bestiis à copiâ occurratur , & succurratur perituro ? Quid facient de me , qui ovicula sum , quæ & in ipsum pastorem tantâ feritate insiliunt ?

Ibi etiam agens contra Episcopos (c) ; qui esurientibus pauperibus , expendunt sua in fastum & vestes , &c. dicit , quod quamvis contra eos fama fileat , & populus de hoc non murmuraret : quia non potest , ait Dominus (d) , mundus odisse vos : sed non filet fames pauperum . Ibi multa de hoc , quod videlicet Episcopi de portione illâ , quæ est necessaria ad propriam vitam sustentandam , pascunt suos oculos , emendo ea quæ ad nihil aliud conducunt , quam ad pascendos oculos ; quidquid autem vanitibus accrescit , necessitatibus pauperum detrahitur . Jumenta gradiuntur onusta auro & gemmis , & nostra , inquiunt pauperes , non curatis corpora nuda & esu-

(c) Idem Epist. ad Theobal. Episc.

(d) Joan. VII.

rientia. Et tamen hæc omnia nec negotiationis studio, neque proprio manuum exercitio, neque jure hæreditario acquisivisti, &c. Hæc pauperes coram Deo tantum gemunt, cui corda loquuntur; non enim audent aperte causari adversus Episcopos, quibus interim pro suâ vitâ necesse habent supplicare. Veniet tamen dies, quandò stabunt in magnâ constantiâ adversus eos qui se angustiaverunt, &c. Et Dominus dicet (*e*): Quandiù non fecistis uni de his minimis meis, nec mihi fecistis.

Verus Episcopus (*f*), ut ibi Bern. ait, sit impræsentiarum tamquam vas perditum, ut quandòque sit vas in honorem: non enim purè valet Dei vel proximi quærere lucra, nisi qui propria lucra contemperferit, & extrinsecas gloriolas perfectè respuerit.

*In eádem Epistolâ*: Scholares pueri, & impuberes adolescentuli, ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferulâ transferuntur ad principandum Presbyteris: lætiores interim quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum.

(*e*) Matth. XXV.(*f*) Epist. 37. Ad comit. Theobal.

Ibi increpans Abbates (*g*), qui procurabant exemptiones ab obedientiâ Episcoporum, & gestare etiam mittas, dicit: Quis dabit mihi centum in mei custodiam deputari Pastores? Nam plus timeo dentes lupi, quam virgam Pastoris. O stupenda infania, non cunctari præponi custodem plurimis animabus, & non posse ferre unum custodem super propriam animam!

*Idem, Epist. 55.* (*h*) dicit, quod bona fama Episcopi affert ei grave onus; quia omnes miseri moti odore famæ, fiducialiter currunt ad ipsum in suis necessitatibus, ut ad communem patrem.

*Idem, Epistolâ 66* (*i*). Scandalum cuiuslibet adversus me, sive justum, sive injustum sit, non debeo dissimulare.

*Idem, Epist. 70* (*k*). Episcopus & si facit quod in se est ad conversionem alicuius, si tunc ipse non convertitur, non est satis ut consolationem recipiat. Discedant, inquit Bern. à me qui consolantur, & dicunt, quia oratio mea in sinu meo revertetur, dum is pro quo emissa est, nondum convertitur. Neque audio illos (*l*), qui

(*g*) Bern. Epist. 37.      (*h*) Ad Episc. Carnot.

(*i*) Ad eumd.

(*k*) Ad Guid. Abbat. de trib. font. Psalm. 34.

(*l*) Ezech. XXVIII.

mihi blandientes asserunt , justitia justi super eum erit , dum impius in suâ impietate remoratur. Non enim recipio consolacionem , quandiu fratriss video desolationem.

*Idem, ad quemdam Abbatem, Epist. 72. (m)*  
 qui eum in litteris suis vocaverat patrem & Dominum , inter alia , sic dicit : Qui me exaltat , humiliat: & qui me humiliat , exaltat : sic tu me exaltando , dejicis ; & extollendo , deprimis. De talibus soleo Deo conqueri in orationibus (n) : Qui laudabant me , adversum me jurabant ; ad quam meam querimoniam audio Deum respondentem , & attestantem : Verè qui te beatum dicunt , errorem mittunt. Et ego subjungo (o) : Igitur , Domine , avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi , euge , euge : id est , illi , qui me laudant , ignorantes vilitatem meam ; tandem cognoscentes eam , erubescant , & pudeat eos talem laudâsse ac proinde desistant.

*Idem , Epist. 78. publicè manifestat culpam cuiusdam diaconi (p) , qui simul erat Archidiaconus , & Decanus , ac dapifer Regis Franciæ ; & dicit , quod non est curandum si scandalizetur ille cuius vitia car-*

(m) Ramald. Abbat. Fusniac. (n) Psal. 101.

(o) Psal. 69. (p) Ad Sugg. Abbat. S. Diony.

puntur; quia melius est ut scandalum oriantur, quam ut veritas relinquatur.

*Idem*, Epist. 80. (q) monet quemdam Abbatem puniturum quosdam, quod puniendo, non solum consideret quam poenâ illi digni sunt; sed etiam quidignum sit sibi punienti, scilicet, ut misericordia superexaltetur iudicio, &c.

*Ad Archiepisc. Eboracen. Epist. 95. & 198.* (r) dicit, quod magis proprium munus est Episcopi, fervere zelo in tuendis oppressis pauperibus, quibus non est adjutor, quam in eleemosynis dandis. Hoc enim est commune omnibus divitibus: illud paternæ pietatis egregium specimen.

*Idem*, Epist. 127. (s) Si quis de populo deviat, solus perit; error Prælati multos involvit, & tantis obest, quantis præest.

*Ibidem*: Si aliquis laborat infamia, non potest esse Prælatus; quia si sunt vera quæ de eo dicuntur, indignus est: si falsa, oportet tamen Pastorem habere etiam decorum famæ.

*In Epist. verò 158. (t) videbis quanto zelo ardebat Bernard. ne crimina manerent*

(q) Ad Guid. Abb. Mol.

(r) Idem Ber.

(s) Ad Gul. comitem.

(t) Ad Pap. Innoc.

impunita. Quidam reus factus in morte Thomæ Prior sancti Victoris, confugerat ad Sedem Apostolicam, ut se defenderet. Scribit ergo Pontifici, quod si ille confessus fuerit culpam, & petierit poenitentiam, non negetur ei, si autem petierit audientiam, detur ei illa quam Moyses dedit adorantibus vitulum, quam Phinees fornicanti Israëlitæ, quam Mathathias dæmonibus immolanti, quam Petrus Ananiæ.

*Ex Divo Augustino, Chrysost. aliisq;  
Patribus, selectæ quædam de offi-  
cio pastorali sententiae.*

**Q**UANTUM oporteat bonum (*a*) Paf-  
torem vigilare, ne illaqueatur vitio inanis  
gloriæ, patet ex verbis Augustini, sic di-  
centis in libro sent. Prosp. Quas vires no-  
cendi habeat humanæ gloriæ amor, non  
fentit, nisi qui bellum ei indixerit; quia  
& si cuiquam facile est laudem non cupere  
dùm negatur, difficile tamen est eâ non  
delectari, cùm offertur. Quia igitur hoc  
virus est nocentissimum, & imperceptibi-

(a) Refertur à Prospero sent. 318.

liter per poros ingrediens, ac omnia intus corrumpe[n]s, nihil utilius saluti animæ hominis in statu gloriofo constituti, quām continuè audire opprobria, & scire quod omnes malè recipiunt acta sua, despiciunt, & derident, & maledicunt ei. Quāmvis enim hoc sāpē noceat animabus suorum subditorum, propriæ autem animæ saluberrimum medicamentum est.

*Greg. in generali Synodo (b):* Cūm vita Pastoris in exemplum debeat esse discipulis, plerūmque clerici, qualis in secreto sit vita Pontificis nesciunt, quam tamen sāculares pueri, & servientes sciunt. De quā re præsenti decreto constituto, ut quidam ex clericis, vel etiam ex Monachis electi, in ministerio cubiculi Pontifici obsequantur; ut is qui in loco regiminis est, & tales habeat testes, qui veram ejus in secreto conversationem videant, & sedulâ ex visione exemplum profectus sumant.

*Prosper. secundò (c) de vitâ contemplativâ, tractans de conditionibus sanctorum Pastorum, inter cætera, sic dicit: H̄i sunt duces fidelis populi, omnibus bonis amabiles, & malè sibi consciis etiam ipso-*

(b) Decretorum tempore Mauritii, cap. 2.

(c) Prosper, cap. 2, in Med.

visu terribiles, vindices oppressorum, primi phalanges invisibilium præliorum, columnæ firmissimæ in Christo fundatæ; quibus innititur omnis multitudo credentium, dispensatores regiæ domûs, quorum arbitrio in aulâ Regis æterni dividuntur gradus, & officia singulorum. Hi sunt qui non ambiendo, sed spiritualiter vivendo, sacerdotium meruerunt, qui nihil sibi applaudunt de præstantiâ principatûs: quoniam non inflammat eos honor acceptus, sed exercet labor impositus: non cogitant profectum suæ excellentiæ, sed sarcinam: non gloriantur de dignitate, sed potius sudant, quasi constituti sub onere, quos Deus vocat speculatores, quia religiosâ curiositate actus omnium explorant; & quos bonos probant, honorando confirmant. Quos verò vitiosos deprehenderint, arguentes emendant; aut si emendari no[n]huerint, æquanimiter portant habituri uberrimum fructum, aut de suâ districione, si correcti profecerint: aut de suâ patientiâ, etiam si illi quos sustinent, emendari no[n]huerint. Ambientes prætermittunt honore, non ex invidiâ, sed altæ prudentiæ consilio: quia illis non expedit; latere autem cupientes honorant, ut eis aditum ad majores profectus aperiant. Quos probant posse pati increpationem, castigant: im-

patientes autem objurgationis, ut languidos, palpant: non eis adulando quod tales sunt, sed infirmitatibus talium compatiendo, si non possunt aliter sanari; quia contigit quod cum tales infirmi puniuntur, succumbunt mole tristitiae aggravati, & fugiunt vultus sanctorum, per quos aliquando possent restitui; & jam non secrete, sed impudenter in omnia vitia præcipitantur.

*Idem, ibidem, cap. 9. & 10. (d)* Quamvis Episcopus, ante omnia, propria dimiserit, tamen factus Episcopus potest sine aliquo impedimento perfectionis, facultates Ecclesiæ dispensare; quia non sunt propriæ, sed omnino communes. Et ideo S. Paulinus, qui prius vendiderat sua prædia, & pauperibus erogaverat, factus Episcopus non contempnit Ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensavit. Sic Hilarius, qui prius omnia sua pauperibus distraxerat, post factus Episcopus non solum conservavit quæ invenit, sed etiam acceptis fideliūm numerosis hæreditatibus, ampliavit; quoniam hi sancti viri facultates Ecclesiæ non ut possessores, sed ut procuratores possidebant, non eas in suos usus vendi-

cantes ut proprias, sed ut commendatas pauperibus dividentes: scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pre-tia peccatorum, & patrimonia pauperum. Et ideò habentes, dicebantur ea contem-nere; quia non sibi, sed aliis possidebant, nec suscipiebant eas habendi cupiditate, sed subveniendi pietate. Unde non arro-gabant eas eis qui sibi de suo sufficiunt: cùm nihil aliud sit habentibus dare, quām perdere, & etiam ip̄si non sine grandi pec-cato accipiunt, de quibus pauper victu-rus erat. Imò etiam ip̄si pauperes, quan-dò suis artificiis, aut laboribus possunt se sustentare, non debent de bonis Ecclesiæ accipere, ne Ecclesia gravata non possit infirmis & debiliibus subvenire, Clerici etiam, qui fideliter laborant in Ecclesiâ; non expectent hīc stipendia temporalia ab Ecclesiâ, quasi præmia laborum, quia stipendia suæ militiæ, non nisi cœlestia sunt, sed solùm necessaria ad sustentatio-nem vitæ.

Taxat etiam ibi Sacerdotes, qui cùm ex propriis habeant undè vivant, volunt tamen in congregazione vivere ex sumptu-bus Ecclesiæ, quia usurpant cibos paupe-rum, & subjungit: Dura sunt hæc quæ dico, neque ego diffiteor, dura sunt, sed ob-servare nolentibus: nam facientibus, fa-

cilia sunt. Quomodo difficile est quod non accipias ab Ecclesiâ id quo opus non habes?

*Ibi etiam, cap. 21. (e)* exponens verbum Joan. Debemus ambulare sicut Christus ambulavit, dicit: Quid est ambulare sicut ille ambulavit, nisi contemnere omnia prospera quae contempsit, & non timere adversa quae pertulit, docere quae docuit, sperare quae promisit, præstare beneficia etiam ingratis, non retribuere secundum merita malevolis, orare pro inimicis, misereri perversis, invitare adversos, æquanimiter pati subdolos atque superbos, ac denique, juxta verbum Apostoli (f), mortui simus carni, ut duntaxat Christo vivamus? Sicut enim carne mortuus, nulli jam detrahit, nullum aversatur aut despicit, nullius pudicitiam callidâ circumventione corrumpit, non invidet, non adulatur, non ambit, &c. Sic qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, nulla horum possunt agere, aut pati.

*August. Epist. 52. (g).* Debet homo diligere proximum, tanquam seipsum. Ut

(e) Prof. c. i. prin. i. Joan. II. (f) Colof. VIII.

(g) Aug. ad Maced.

## 86 EX D. AUGUSTINO.

quem potuerit hominem , vel beneficentiae consolatione , vel doctrinæ informatione , vel disciplinæ coercitione adducat ad colendum Deum (*h*). Et tibi ex Terentio adducit illud senis : Tantumne ab re tuâ est otii tibi , aliena ut cures eaque nihil quæ ad te attinent ? Cui hîc respondit alius , homo sum , humani nihil à me alienum puto. Cui sententiæ ferunt theatra tota , plena stultis doctisque applausisse. Et quia hæc Epistola fuit directa cuidam Macedonio , judici sæculari , in fine dicit ei : Tu adeò magnum animum , & mirabiliter laudandum geris , ut neque curas sæculares deseras , & cœlestibus rebus libentiis atque familiariis occuperis. Ex quibus Aug. verbis patet , à pusillanimitate procedere quòd homo non possit utraque præstare.

*Idem , Epist. 54 (i).* Facile atque proclive est malos odisse , quia mali sunt ; raurum autem & pium eosdem ipsos diligere , quia homines sunt. Ne putes quòd omne odium iniquorum zelus Dei est.

In eâdem Epistolâ (*k*) latè differit , quomodo absque culpâ possumus intercedere coram iudicibus vel Prælatis , pro crimi-

(*h*) Hearton. in prin. Menede. Chremes.

(*i*) August. ad Maced.

(*k*) August.

nōsis, pro eorum pœnā temperandā, vel removendā. Quod quisque in domo suā puniret admissum, sine culpā in alterius domo vult esse impunitum. Nam & Dominus apud homines intercessit, ne lapidaretur adultera. Et eo modo nobis intercessionis commendavit officium, nisi quia ille terrendo fecit, dīm ait, qui sine peccato est vestrūm, &c. quod nos petendo facere debemus, quia ille Dominus, nos servi, & illo sic terrente, cecidit sævitia, tremente conscientiā, & recedentes, solam misericordi miseram reliquerunt. Cedat ergo huic sententiæ pietas Christianorum, cui cessit impietas Judæorum. Igitur, ait, nos peccatores, intercedimus pro peccatoribus coram peccatoribus; quamvis non fuerimus peccatores, oportet nos sequi exemplum illius, qui sine peccato existens, dixit adulteræ: Neque ego te condemnabo; quasi dicat, si malitia tibi parcere potuit, quid metuis innocentiam?

Ex hâc Epistolâ collige, quòd tempore Aug. frequentissimum erat, quòd Episcopi intercederent pro reis apud potestates fœculares. Ibi etiam habes, quòd qui rogat pro reo, benignè est audiendus, nec reputandus est approbator criminis, sed humanissimus intercessor.

Ibi dicit etiam: quomodo Episcopi procedebant contra crimina pertinentia ad forum fæculare, ut latrocinium, &c. Agimus, inquit, quantum Episcopalis facultas dat, scilicet comminamur divinum iudicium, & nonnunquam etiam humanum, arguimus, increpamus, detestamur quosdam clam, quosdam palam, sicut diversitas personarum diversam videtur posse recipere medicinam; aliquando etiam si res magis curanda non impedit, sancti Altaris Communione privamus.

*Idem, Epist. 140 (1).* Curæ Ecclesiasticae adeò me occupatissimum tenent, quod pauculae guttulæ temporis vix recreant vel cogitatione dictantem, vel reficientem corporis vires.

*Idem, Epist. 148.* Nihil difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi officio. Et hoc multò amplius quam putabam, expertus sum, non quia novos aliquos fluctus, aut tempestates vidi, quas ante non noveram, vel non audieram, vel non legeram, vel non cogitaram, sed ad eas evitandas aut preferendas solertiam & vires meas omnino non noveram, & alicuius momenti arbitrabar: Dominus autem irri-

fit me, & rebus ipfis ostendere voluit me ipsum mihi. Et ante hæc præmiserat, arbitror Dominum Deum propterea me sic emendare voluisse, quod multorum peccata nautarum, antequam expertus essem quid illic agitur, quasi doctior & melior reprehendere audiebam. At postquam misfus sum in medium, tunc sentire cœpi temeritates reprehensionum mearum, quamquam & anteā periculosisimum judicarem hoc ministerium. Igitur, inquit, cognitâ nunc ægritudine meâ, debo scripturarum ejus medicamenta omnia perscrutari, & orando ac legendō agere ut idonea valedictio animæ meæ ad tam periculosa negotia tribuatur: quod ante non feci, quia tempus non habui: tunc enim ordinatus sum, cum otium quærebam ad agnoscendas divinas Scripturas. Jubes ergo ut peream, pater Valeri, ubi est charitas tua?

*Idem, Epist. 214 (m).* Quod multi quia nolebant acceptare Episcopatum, perduccebantur, includebantur, custodiebantur, & patiebantur multa quæ nollent, donec eis adesset voluntas suscipiendi opus bonum, Nazianz. (n) in oratione de laudibus Basili, indicia idonei viri, ad præfectu-

(m) Aug. Donat. Presbyt. donatista. (n) Nazian.

ram Ecclesiæ sunt hæc : Loquendi libertas erga Principes, indigentium subsidia, plura quidem spiritualia, non pauca corporalia, hospitum receptio, Virginum congregatio, Monachorum institutio verbo & scripto, precum ordinatio, gradus exornatio. Episcopus debet esse sicut Melchisedech sine patre, sine matre, & sine genealogiâ, superando teneros affectus erga consanguineos. Imò Dominus ut suos erudit̄ Vicarios, semper asperè locutus est ad consanguineos suos, quoties intercessit negotium cum eis. Aliquandò enim dixit : (o) Nescitis quid petatis. *Et alibi* (p) : Quid est quòd me quærebatis ? *Et* (q) : Quid mihi & tibi mulier ? *Et* (r) : Quæ est mater mea, aut fratres mei, &c ? Quasi dicat : Non habeo alias consanguineos, nisi qui patris mei voluntatem faciunt. *Et sæpè alibi* : Sciebat Dominus multos Pastores futuros qui occasione consanguineorum ad terrena flecti deberent : ideoque sic eos ante præmunit. Iсаias dicit quòd tempore Messiæ restituendi erunt judices sicut à principio, scilicet tempore judicium, qui sine fastu & pompa, creditum sibi po-

(o) Mat. X.

(q) Joan. II.

(p) Luc. II.

(r) Mat. III.

pulum regebant. Unde quidam eorum dicebat (*f*) : Quod videritis me facere , hoc facite ; & *alius* (*t*) : Non dominabor vobis, neque filius meus, sed Dominus. Ideò ad Episcopos dicitur (*u*) : Non dominantes in clero , sed forma facti gregis , &c.

*Chrisostom. homil. 3. in Acta* (*x*) : Non arbitror inter Episcopos multos esse qui salvi fiant , sed multò plures qui pereant ; qui sàpè non damnantur propriis peccatis , sed alienis , quæ non curaverunt.

*Idem , homil. 15. ad Timot. 1.* (*y*) Ego audenter dixerim Ecclesiæ præfules , nihil præter victimum & vestitum habere oportere , ne ad ista trahantur desiderio.

*Idem , lib. 3. de Sacerdotio* (*z*) : Omnes cives expectant quòd Episcopus quotidiè eat in domos suas , non solum quandò sunt ægroti , sed etiam quandò sanū , alias offenduntur , &c. Volunt quòd non comedat , quòd non habeat vel unum famulum , &c. Denique quòd sit Angelus , nullam habens carnis fragilitatem.

*Idem , dicit lib. 4* (*a*). Quòd Episcopus compulsus ad Episcopatum , non potest se

(*f*) *Judic. 7.*

(*u*) *I. Pet. V.*

(*y*) *Chrysost.*

(*a*) *Chrysost. de Sacerd.*

(*t*) *Judic. 3.*

(*x*) *Chrysost.*

(*z*) *Chrysost.*

excusare, dicens: Numquid ego accurri ad hoc ministerium? Sicut neque Sauli illa poterat prodesse excusatio, si dixisset Samueli: Quare Deus me constituit Regem? Quare credidit mihi bellum adversus Amalechitas? Si mansissem in vita mea privatâ, non incidissem in has molestias & pericula, neque peccassem. Hæc si dixisset, non solum non se excusasset, sed magis iram Dei adversum se irritasset. Oportet enim etiam sic compulsum, ut gratia Dei ad majorum virtutum profectum. Velle autem benignitatem Dei auctorem facere criminum suorum, est hominum impiorum, ac eorum quorum vita in ignaviâ & socordiâ versatur. Sic Moyses quantumcumque recusaverit præfecturam, tamen non est consecutus veniam, ut intraret in terram promissionis; & post tot labores toleratos in pelago illius deserti, non est permisus fruportu.

*Ibidem, libro 6 (b).* Quod Episcopus fit diligentissimus in excusando se, ac defendendo famam suam, quando de illo male loquuntur, aut suspicantur, aut suspiciuntur: cum Apostolus etiam contra suspicionem furti se munierit. 2. ad Cor. 8.


---

*Thaulerus in Serm (c).* Ego sum Pastor bonus. Mercenarii, ait, sunt; & in summis versantur periculis Prælati qui aliud intendunt & quærunt, quàm purè Dei gloriam, & salutem animarum. Certè sese plangerent die ac nocte, & tabescerent præ dolore, si exploratum haberent quàm disticto judici rationem sint reddituri de quâlibet animâ, & de causis, & negotiis omnibus sibi commissis, certè, ait, tempestate hâc fungi officio pastorali, modo illi dignè velis satisfacere, grandis cruciatus est, & crux penè intolerabilis. Nihilque illam tolerabilem potest reddere, nisi magnus amor illius qui pro nobis sustinuit crucem, &c. Officio autem suo facit satis, si id quod faciendum est meliori modo exequitur, quantum sibi constare potest: licet alioquin rectius fieri posset. Comis sit, & affabilis, tam amicis quàm inimicis: hoc enim magnam pacem parit, suaviter seriùs erit, & potius ex amore, quàm ex timore præcipiet; ubi mordere non licet, saltem latratus quosdam dabit. Si non potest promovere subditos ad vitam sanctam, saltem hoc omnino conetur, ne virtus decrescat, & malitia sub ipso vires su-

mat & incrementum. Doceat potius exemplis, quam verbis, patienter ferat cum Salvatore dicta sua & facta calumniosè interpretari, & ab his sustinere mala, quibus maximè studet benefacere: neque speret, neque velit omnibus placere, alioquin sàpè Deo displicebit. Do ego consilium omnibus in quâcumque prælatione constitutis, ut semper in ima sive fundum humilitatis sese demittant, nihilque suum ob oculos habeant, omnem superbiam devitent. Cùm aliquem reprehendere volunt, sese prius reprehendant; & quantum fieri potest, malum studeant vincere in bono: non enim Satanás Satanam expellit. Sic ex corde mansueto mitia & dura verba proferant, prout res ipsa, & causæ exigere videbuntur. Quâlibet die sàpius quidem, specialiter vero duabus vicibus sese intro recipient, manè scilicet & vespare, & tunc semotis paulisper, & à memoriâ exclusis omnibus rebus & negotiis temporalibus, sese coram se statuent, menteque in Deum sublevatâ, omnia adverfa & gravia de illius suscipient manu, illi offerent, pro ejus amore sustinebunt, ac per ipsum denique vincent. Et hoc facient amabiliter, dulcia cum Deo colloquia miscendo, & suum in illo recreando spiritum. Hoc modo sub unâ horâ integrum diem imò

plurimos dies poterunt recuperare: Hæc omnia Thaulerus. *Et subjungit.* Vera enim perfectio non in consolationum affluentia sita est, sed in voluntatis integrâ resignatione in voluntatem Dei, ad omnia tam amara, quam dulcia ferenda. In hoc enim statu melior est ariditas mentis, quam extra hunc profusa suavitas. Qui igitur ad onus pastorale vocatus est à Deo, ipsum æquanimiter ferat, & diligenter faciat quod in se est, hoc secum cogitans, quod si hoc onus non esset sibi impositum, alia fortassis pejora onera ei accidissent: & certus sit quod Dominus Deus, cuius gloriam quaerit, & qui hoc onus illi imposuit, potest & vult ei providere, & in suam gloriam dirigere. *Hæc ille.* Igitur cum angustiæ, scrupuli, cor undique premunt ob negotiorum tumultum ac perplexitatem, mox toto conatu introvertere, & resigna teipsum in Dominum, & de manu illius suscipe omnes anxietates ac mentis ariditates, gratias ei agendo.





SECUNDA OPERIS PARS,  
in quâ tûm Sanctorum Patrum testi-  
moniis , tûm verò perspicuis ratio-  
nibus , omnia Episcoporum alio-  
rumque Prælatorum officia expli-  
cantur.

---

*Sollicitudo & occupatio quæ sit digna  
Episcopo , & quæ indigna.*

### C A P U T I.

**Q**UID Episcopo turpius (a), quam  
incumbere supellestilis , & substantiolæ  
suæ , scrutari omnia , sciscitari de omnibus ,  
morderi suspicionibus , moveri ad quæ-  
que perdita , vel neglecta ? Ad verecun-  
diam dico quorumdam , scrutantium quo-  
tidiè substantiam suam , numerantium fin-  
gula , de minutis & quadrantibus exi-  
gentium rationem , Ille gentilis Ægyptius

---

(a) Bern. lib. 4. de confide. ad Eugenium.

ignorabat ,

ignorabat quid haberet in domo suâ , omnibus traditis Joseph servo , & alienigenæ . Et Christianus , & Episcopus , non audet credere bona sua Christiano ? Facile inveniunt Episcopi cui concredant animas Christi Sanguine redemptas , non autem cui concredant facultatulas suas ? Optimi æstimatores rerum , qui magnam de minimis , parvam aut nullam de maximis curam gerunt . Liquido datur intelligi , quod patientiis ferimus jacturas Christi , quam nostras : detrimenta gregis dominici nescimus , expensas autem nostras quotidiè scrutamus , tractamus cum Ministris de pretiis escarum : vix autem loquimur cum Presbyteris de peccatis populorum . Tunc ad singulas supputationes irascuntur , uruntur , vexantur , anxiantur . O quam tolerabilius , rerum quam mentium sustinemus jacturam ! Si potest torrens in agros excurrere sine læsione satorum , tute istâ sine vulnerâ mentis posse tractare confidito . Omnibus ergo modis , ait , consulo à te avertere concursum horum , multa nescias , plurima dissimules , nonnulla obliviscaris .

Studeas scire mores ( b ) , & studia familiarium tuorum : non decet ut vitia do-

( b ) Bern. lib. 4. de cons. ad Eug.

mūs tuæ ultimus scias quod quām plurimis novimus contigisse. Alius alia dispenset, tu de disciplinâ provide. Illud nemini credas, si insolentior coram te, vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit; manus tua super hujusmodi; ulciscere injuriam tuam, impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum Episcopi decet sanctitudo, honestas in vultu, incessu, habitu, &c. Discant à te Coepiscopi comatulos pueros, & comptos adolescentes secum non habere; certè inter mitratos discurrere calamistratos non decet. Et maximè convenit ut familiares Episcopi sint viri spirituales; nam, ut dicit Gregorius super Ezechielem: Qui Sanctis adhæret, ex assiduitate visionis, locutionis, exemplo operis, accipit undè accendatur in Deum, via fugiat, munisque sentiuntur labores virtutis: sciunt enim illi compati, sciunt gaudere cum gaudentibus, flere cum fletibus, libenterque sustinent penuriam temporalium.

Vitam Episcopi describit Bonif. VIII. ut habetur in Clement. dudùm, in sepulturis, in hunc modum. Quasi torrens in alveum amplum, sic confluunt undique negotia ardua & plurima in cor Episcopi, quibus prægravatur, curis innumeris excitatur, cogitationibus plurimis distrahitur, ad hoc

tantum, ut nomen divinum exaltetur, catholica fides promoveatur, animæ proficiant, ut radicitus vepribus dissidiorum ac litigiorum evulsis, vigeat tranquillitas pacis, fervor charitatis exæstuet, invaleat concordiæ unitas, &c. Et, ait Bernard. Quamvis vita contemplativorum pura sit dulcior & felicior, tamen vita Prælatorum est fortior & utilior; quorum est sensus suos ac omnia terrena, quasi quasdam divinas opes, ad beneplacitum Dei dispensare. Et quia attentio habet multos gradus, quando audis negotia, solum illum gradum attentionis accommoda, qui requiritur & sufficit ad ipsum, semper reservatâ saltem parte cordis Deo. Unde Gregorius (c) in Pastorali arguit Prælatos, qui imprudenter mentem divertunt ac confundunt per diversa: quò fit, ait, ut à timoris intimi soliditate vacuetur mens, & sit in dispositione exteriorum sollicita; & sui solummodo ignara, scit cogitare multa, se ne sciens. Nam, inquit, cùm plusquam necesse est exterioribus, se implicat, quasi occupata in itinere obliviscitur quò tendebat, ita ut studio suæ inquisitionis alienata, ne ipsa quidèm quæ patitur damna, consi-

deret , & per quanta delinquit , ignoret .  
 Et tamen , dicit idem Gregor . ( d ) Quod  
 quidam Pastores delectantur externis nego-  
 tiis , & laborem putant cessare ab eis , quia  
 ipsa quiete maximè fatigantur . Apostolus  
 qui dicebat ( e ) : Sollicitudo omnium Ec-  
 clesiarum incumbit mihi , volabat celeriter  
 ad Ecclesiás , ut occurrentibus necessitati-  
 bus consuleret . Sic ergò oportet Aposto-  
 licum Episcopum sàpè ad varias Ecclesiás  
 divertere , ut occurrat casibus & scandalis ,  
 cuæ non nisi eo præsente possunt commo-  
 dé tractari . Hoc est proprium pastoralis cu-  
 ræ ; quia omnes sunt oves ei creditæ . Ne-  
 que audiendæ sunt voces eorum qui di-  
 cunt , tòt discursus auctoritatem officii of-  
 fuscare , sufficere autem ut aliquibus tale  
 committatur . Nihil enim aliud moliuntur  
 hi , quam ut auctoritatem personæ illibata-  
 tam servent , commoditate animarum ne-  
 glectâ . Memento quia charitas non est  
 ambitiosa , neque fastuosa . Animadverte  
 quod discipulus es illius , qui non venit  
 ministrari , sed ministrare , & discurrere  
 per civitates & castella ad quærendas ani-  
 mas : pro nihilo ducens in hujusmodi dis-  
 cursibus , aut cæteris sanctis laboribus per-

dere vitam , salutem , honorem , famam , &c. dum tamen consummaret opus quod ei à parte injunctum est.

Gregor. sic exhortatur Episcopos (*f*) : Studeat cor nostrum terrenorum Pastorum imitatione succendi , qui hyemales noctes imbribus , geluque constricti , dicunt per vigilias , ne vel una ovis , & fortè non utilis , pereat. Quàm si insidiator ore mordaci momorderit , quomodo satagunt , quibus cordis anhelant æstibus , in quas voces , ut eruant captum pecus , angustiâ stimulante , prosiliunt , ne à Domino gregis exigatur quidquid per incuriam perierit ! Sic ergò nos vocibus divinorum eloquiorum , periclitantes oves ad gregem reducamus , &c.

*Ibidem* : Peto , ait (*g*) , ut mihi ignoscas quòd Epistolis tuis sub brevitate respondeo ; quia tantis tribulationibus premor , ut mihi neque legere , neque per Epistolas multa loqui liceat. Hoc solùm tibi breviter dico ; quia oblitus sum comedere panem meum , à voce gemitūs mei.

Cùm turbæ negotiorum in te irruerint , ut suis necessitatibus consulas , ne torquearis : sed paternum expande sinum , memorans illud : Cùm turbæ irruerent in Jesum ,

---

(*f*) Epist. 33. lib. 2,

(*g*) Cap. 101.  
E iiij

&c (h). Et cum tunc anxiaris desiderio quietis, recordare verborum Bern. serm. 53. super Cantic. sic dicentis: Is qui aliis praest in sollicitudine, vix umquam, vel tardò securè vacat sibi: dum semper timet sui penuriam facere subditis, & non placere Deo, quod communi utilitati propriam præfert quietem, & contemplationis dulcedinem.

Præcipua Episcopi sollicitudo esse debet circa collationem beneficiorum curatorum. Ideò præ oculis habeat illud Apostoli (i): Testificor coram Deo & Christo Jesu, & electis Angelis, ut haec custodias, sine præjudicio, i. sine prævio judicio, nihil faciens in alteram partem declinando, i. nihil agens præcipitanter. Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Ideò, vacante beneficio, orandum est (k): Ostende, Domine, quem elegiris, &c. Tu, Domine, nosti quod in hac distributione ego prorsus nolo attendere ad carnem & sanguinem: sed eligere ministrum tibi fidelem, & medicum utillem animabus tuo sanguine redemptis. Ad hoc etiam animadverte quomodo, Luc.

(h) Luc. V.

(k) Act. I.

(i) 1. Tim. V.

6. pernoctavit Dominus in oratione, & manè elegit Apostolos.

O miserandam multorum Episcoporum incuriam, per suam Dioecesim peragratum, & aspicientium ovilia sua commissa lupis, hospitalia sua commissa homicidis, i. parochias commissas rectoribus ignorantibus & carnalibus, quos vel non possit amovere, vel non habet alios quos loco illorum sufficiat, si transeundo, hæc absque lachrymis, & intimis gemitibus intuetur! Igitur huic tanto morbo imprimis omni ratione occurrentum est. Sed heu, ô cæcitatem & insensibilitatem nostram, ait Augustinus, quod sola insolita exhorrescimus; solita verò, etiam si magna crimina sint, non solum non exhorrescimus, sed etiam aliquando committimus: quod sit ut aliquando euram animarum minùs idoneis Ministris commendemus, non aliâ ratione, nisi quia sic soleat fieri.

Augustinus: Noverit dilectio vestra (1), numquàm me fuisse absentem ab Ecclesiâ meâ licentiosâ libertate, sed necessariâ servitute, quæ sœpè sanctos fratres & collegas meos, etiam labores marinos & transmarinos compulit sustinere. Tres autem

---

(1) August. Epist. 138.

causæ possunt excusare Pastorem à residenciâ, ut dicebant Patres in Conci. Trid. Prima scilicet; obedientia Superioris vocantis, secunda, urgens necessitas, quia ob ægritudinem cogitur aliquando mutare aërem, vel quia ejus persona queritur à persecutore; tertia, urgens charitas scilicet ut subveniat alteri Ecclesiæ vel Regno, quod ad tempus magis eget ejus ope, quam sua Ecclesia.

Non te fallant allegantes, Cap. De multâ, de Preb. quod male intellectum multos in gehennam præcipitavit. Non enim Pontifex in hâc parte, præcipuam rationem habuit personarum litteratarum, vel nobilium; neque potuit habere, sed ipsarum Ecclesiarum. Et ideò tunc solùm dispensare intendebat, quandò persona docta est talis, quod plus creditur profutura duabus Ecclesiis exemplo ac doctrinâ, quam si duabus aliis personis crederentur; quia scilicet plus proderit Ecclesiæ manens ibi ad sex menses, quam aliis manens per totum annum. Quod si ex suâ scientiâ vel nobilitate, nullum commodum reportat Ecclesia, vel minimum, quia videlicet non residet, aut non vigilat, aut non dat cleemosynas; quare in detrimentum Ecclesiarum ditabitur ille? Nonne Pastor est propter bonum Ecclesiæ, & non Ecclesia

propter Pastorem? Ecclesia enim non est danda clero propter bonum clericis, sed propter bonum ipsius Ecclesiæ, sicut committitur Hospitale Medico, non propter bonum Medici, quāvis ipse id consequatur, sed propter utilitatem Hospitalis. Si sic ergo est, quomodo datur Ecclesia illi de quo spes non est quod residebit, aut utilis erit Ecclesiæ? Non ergo danda est Ecclesia alicui, quia doctissimus, aut quia sanctissimus est, aut quia multum servivit Ecclesiæ Matrici: sed qui creditur optimè servitus Ecclesiæ quæ illi committitur; quemadmodum stipendum taxatum Medico hujus Hospitalis, non est dandum alicui, quia optimè servivit aliis Hospitalibus. Merita enim præcedentia possunt esse causa motiva ad dandum huic, quatenus ex illis conjicitur ipsum utilem futurum huic Ecclesiæ, non tamen finalis; finis enim est duntaxat fructus expectatus in futurum: quia non datur beneficium, nisi propter officium. Non enim Ecclesiæ beneficia, eorumque stipendia sunt instituta ad remunerationem bonorum, sed duntaxat ad Ecclesiarum servitium. Quod latè probat Soto, lib. 3, de jure & justi. q. 6. Unde radix iniquitatis ac cæcitatis mulorum in distributione beneficiorum est, quod cum conferunt beneficia, præcipue

intendunt providere, ac benefacere personis quibus ea conferunt, non autem Ecclesiis; cum primum considerare deberent quid magis expedit Ecclesiis, atque salutiovium, & juxta hanc normam providere.

Quam diligenter Greg. ex omnibus partibus mundi bonos clericos quereret, ut eis beneficia conferret, vide Epistol. 18. lib. 2. ubi quia audierat, Syracusis esse quemdam Presbyterum probatae vitae, jubet Episcopo ut explorato an ita esset, curet statim eum Romam mittere; ut eum creet Episcopum alicujus Ecclesiæ. *Idem*, Epist. 26.

*Et ibi, Epistolâ 19. (m) injungens cui-dam Episcopo ut intersit electioni Epis-copi alterius civitatis, sic dicit: Commonemus etiam fraternitatem vestram, ut nullum de alterâ eligi permittas Ecclesiâ, nisi fortè inter clericos ipsius civitatis nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Et provide ante omnia, ne ad hoc laicæ personæ cu-julisbet conversationis vel meriti, aspirare præsumant. Tu ergo, qui Episc. munus ad-ministras, exemplo hoc explora diligenter per totam Dioecesim tuam, clericos pro-*

(m) Greg. Epist. 19.

batæ vitæ , ut illis imprimis conferas beneficia.

Bernardus (*n*). Insolentia clericorum , cuius mater est negligentia Episcoporum , turbat totam Ecclesiam ; dant Episcopi sanctum canibus , id est , ordines & beneficia , & margaritas porcis. Et illi conversi conculant eas. Meritò quales fovent , tales sustinent. Clerici locupletantur alienis laboribus , & prodit quasi ex adipe iniqüitas illorum. Mens quippè affueta deliciis , nec exculta disciplinæ sarculo , multas contrahit fordæ. Porrò inveteratam rubiginem , si tentes abradere , nec summis saltem digitis contigi patientur ; sed , sicut scriptum est (*o*) : In crassatus est dilectus , & recalcaravit.

Idem scribens ad Papam Innocentium (*p*) , egregiè deplorat hodierna mala , scilicet , quod ipse interim summus Pontifex non permittit Episcopos exercere officia sua : nam rectè gesta ab eis destruit , & justè destructa statuit. Non possunt Episcopi castigare crimina in suâ Dioecesi , quia mox refertur causa ad curiam , & omnes criminosi tam de populo , quam de clero , quam

(*n*) Bern. Epist. 152. Ad Mönachos Alpenf.

(*o*) Deut. XXXII. (*p*) Bernard. Epist. 179.

de Monasteriis , currunt ad Pontificem ; & redeuntes jactant se obtinuisse tutores , quos magis ultores sensisse debuerant . Quò fit ut justitia in Ecclesiâ pereat , claves Ecclesiæ annullentur , episcopalis auctoritas vi-  
lescat , &c.

Bernard. ( q ) Boni Pastores dormientibus subditis , ibi pervigilant tanquam rationem pro animabus eorum reddituri : pernoctant in orationibus , hostium insidias sagaciter explorant , anticipant consilia malignantium , deprehendunt laqueos , corrosum tradunt ad vigilandum diluculo ad Deum qui fecit illos , cognoscentes suam insufficientiam in custodiendâ civitate . Igitur , ait , quicumque opus ministerii hujus fortiti estis , attendite vobis , & pretioso deposito quod vobis creditum est . Civitas est , vigilate ad custodiam concordiamque ; sponsa est , studete ornatui ; oves sunt , intendite pastui .

Attendite diligentissimè , quia dies una Episcopi æquivalet multis diebus privatæ personæ , ad negotia Dei peragenda . Ideò valdè debet sollicitus esse , ne dies frustrâ elabantur , illud Eccles. 14 , ad mentem revocans : Non frauderis à die bono , &

( q ) Bern. Serm. 172. super Cant.

particula diei bonæ non te prætereat.

Quid remedii ne curarum ac negotiorum turba tam validè portam cordis irrumpat, & orationis ac sanctæ unionis quietem perturbet? Primò abducere cor à sensuali creaturarum amore; tolle amores, & curæ non perturbabunt; non ames, nec optes aliquid nisi in Deo, & propter Deum, & non te vexabunt curæ, neque à Deo avertent. Secundò, jacta fiducialiter cogitatum tuum in Domino; imitare Susannam illam, quæ etiam in ipso articulo mortis, adhuc habebat in Domino fiduciam. O quam certus adjutor est Deus, omnibus qui in ipsius protectione verè & ex toto corde confidunt!

Proprium est mollis (*r*) & delicatae animæ etiam necessarias dissimulare curas, & ne æstuantes sollicitudines sentiat, sub latibulo dissimulationis abscondi.

Quid in incertum (*f*) tibi numeras dies, & annos laborum? transit hora, transit & poena; neque accedunt sibi dies & labores, sed cedunt potius & succedunt. Guttatim poena bibitur, aliquandò sumitur, per minutias transit; non sic remuneratio,

(r) Bern. Serm. 39. super Cant.

(f) Bernard. in Serm. de fallaciâ præsen. vii.

## PRO SECUNDA PARS

sed tota simul veniet, torrens est voluptatis, & fluminis impetus inundans lætitiam & gloriam (*t*). Æternum, ait Apostolus, gloriæ pondus. Vide quia ipsamet gloria promittitur, non gloriofa domus aut vestis, sed ipsa gloria, &c. In momentaneo tribulationis nostræ latet æternum gloriæ pondus, sicut fructus in semine. Et pondera quod ille qui dicit: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum, dicit: Cum ipso sum in tribulatione, & propè, cùm Dominus his qui tribulati sunt corde (*u*): tunc est nobis Emmanuel (*x*): tunc dicitur nobis sicut Virgini, Dominus tecum. Bonum est mihi, Domine, tribulari, dummodò sis mecum, quām regnare & epulari sine te; malo te habere mecum in camino ignis, quām esse sine te, vel in Cœlo. Vide Bernard. ult. Serm. super. *Qui habitat.*

*Idem (y): Homo natus est ad labores & dolores, quoniam tu laborem & dolorem consideras, labor in actionibus, dolor (*z*) in passionibus est.* Ad utrumque se paratum dicebat David, paratum ad labores actionum cùm dicebat: Paratus sum,

---

(*t*) 2. Cor. IV.

(*u*) Prover. 8.

(*x*) Psalm. 33. Matth. I. Luc. I.

(*y*) Bern. tom. I, fol. 164.

(*z*) Psal. 118.

& non sum turbatus, ut custodiam manda-  
ta tua; ad dolores verò passionum dicens :  
Ego in flagella paratus sum (*a*). Nemo ex-  
filiis Adæ vivit sine labore & sine dolo-  
re ; neque illi de quibus Propheta dicit. In  
labore hominum non sunt,, & cum homi-  
nibus non flagellabuntur : nam sequitur :  
Tenuit eos superbia, gravis enim labor est  
superbia, operti sunt iniustate & impie-  
tate suâ, & hæc gravia flagella sunt : quia  
non est gaudere impiis, dicit Dominus.  
Quòd si neque laboris anxietatem, neque  
flagelli sentiunt læsionem, ipsa jam insen-  
sibilitas vehementiam indicat passionis. Su-  
dat pauper in opere foris, anxius laborat  
dives in cogitatione intùs. Igitur , inquit,  
teneamus obedientiam in laboribus, pa-  
tientiam in doloribus. Sciant gentes quo-  
niā homines sunt, id est, nati ad labo-  
res actionum, & dolores passionum.

Nulla major servitus, ait quidam, quām  
eorum qui præsunt in sollicitudine, qualis  
fuit ille qui dicit (*b*) : Cùm essem liber ex  
omnibus, omnium me servum feci, ut plu-  
res lucrifacerem; qui non leviter affligeba-  
tur animo, cùm quotidiè eum urgeret pre-  
meretque sollicitudo omnium Ecclesiarum :

---

(a) Psalm. 37.

(b) 1. Cor. IX.

112. SECUNDA PARS

itâ ut clamaret (*c*): Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? id est, quis est qui aliquâ tribulatione prematur, cum quo ego etiam non tribuler per intimam compassionem? Et quis est qui spiritualiter ruat in culpam, aut saltem cui detur occasio ruinæ, quod ego corde non urar?

In Aug. super illa verba Isaiæ (*d*): Clama, ne cesses, &c. habes terrifica quædam de periculo Prælatorum. In grandi, ait, periculo sunt Episc. & alii Rectores Ecclesiarum ob multa; specialiter autem quia præcipit illis Dominus, quod liberè arguant vitia, dicens: Clama ne cesses. Et Apostolus dicit, quod Episc. debet esse potens in doctrinâ sanâ, ad redarguendum contradicentes. Orate pro nobis, ut Dominus liberet nos à laqueo venantium, & à verbo aspero. Nulla enim causa facit dispensatorem verbi Dei pigriorem ad arguendos contradicentes, quam timor verbi asperi. Dùm enim timemus detractiones, irrisiones, opprobria hominum superborum, aut ab eis lædi posse bona nostra temporalia, minùs quam oportet prædicamus æter-

(*c*). 2. Cor. XI.

(*d*). Aug. L 50, ho. 7, sup. Isa. 22. 18.

na, & manent vulnera sine medicinâ, de quibus tamen rationem sumus reddituri. Contradicentes autem hîc dicuntur, non solum qui verbo, sed etiam qui male vivendo nobis contradicunt.

Pastor circa oves debet assimilari gallinæ circa pullos, quia, ut dicit Augustinus super Psalm. 58. Gallina super omnes aves maternâ charitate circa pullos sollicitatur: itâ ut tota ægrotet ex labore, raucescit vox, fit hispidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ, &c. Igitur omniconatu contendat Episcopus, esse illa evangelica gallina, sollicita & anxia, ut sub alas colligat, foveatque pullos suos. Eius est fatagere, molliri, in omnia se vertere, quoties affulget spes aliqua pertrahendi hominem ad Christum, submittendo se, ac vocem cum Paulo comutando, undeque occasionses arripiendo excitandæ propagandæque pietati; ubicumque vero senserit aliquam bonæ mentis scintillam, ibi debet residere, omnibus promptè, mansuetè, blandèque respondeat, mulierculæ, plebeio, pagano, hæretico, &c. Joan-Bap. dixit, quod nihil aliud erat quam vox, in eo videlicet sensu quo dictum est cùdam apud Terentium: Tu quan-

tus, quantus es, nihil nisi sapientia es. Si Episcopus quantus quantus est, vox est, id est, nullum aliud ei incumbit officium, nisi clamare præconia Christi; Episcopus ergò totus debet esse vox, ad gloriam Dei & salutem populorum; hoc præcipuum ejus munus, sicut dicimus de homine puerillo staturâ, habente magnam vocem, hic totus est vox. Et in fabulis habetur, quod cum lupus ex voce putaret Philomelam esse aliquid magnum, & tangens eam, parvum corpusculum invenisset, dixit: tu tota es vox, & ideo nihil es. Simus ergò Philomelæ Dei, & nihil præterea, nisi vox Dei. Contemnatur nos mundus, ut abjectos & ferè nullos in corpore, hoc est, in rebus corporalibus, dummodò id totum simus vox Dei, & nihil aliud. Unde & Evangelium potius voci commissum est, quam scripto: lex verò scribitur in lapidibus: Christus autem nihil scripsit, sed dunt taxat voce docuit. Et Apostoli pauca scriperunt: quia in voce est energia, & libera effusio in omnes aures, etiam vulgares. Ideò debemus esse continua quædam tuba Dei.

Alia sunt negotia fæcularia (*f*), alia

(*f*) 1. Tom. conc. pa. 224.

Ecclesiastica. Nonne Moyses in sæculo erat, cùm crebrò tabernaculum intraret & exiret? Qui intùs contemplatione raptus, foris infirmantium negotiis urgebatur; intùs Dei arcana considerans, foris onera carnalium portabat: sic Paul. sic etiam Episcop. debet facere.

Quia Prælatis nimirum occupatis, multa contra veritatem subrepunt (*g*), ideo dicit Bern. Innocent. Papæ: Hic vigilet oculus pietatis vestræ, & semotis paulisper occupationibus, consideret quantum subreptum sit ei.

Bern. considerans (*h*) scandalâ sui temporis, præfertim quandò surrexit in Galliâ Petr. Abailard. hereticus, dicebat: Velle modo de medio fieri, vixius fateor à pusillanimitate spiritus & tempestate. Sancti cupiebant dissolvi, desiderio videndi Deum; ego autem compellor exire scandalis & ærumnis. Et quāvis afficiar mortis desiderio, vereor tamen ne non paratus inveniar; tædet me vitæ meæ, & an mori expediat nescio.

Solent dicere (*i*) homines in amplio statu constituti: Non possum sectari vitam

(*g*) Ber. Epist. 179.

(*h*) Ber. Epist. 189.

(*i*) Aug. Epist. 70.

spiritualem , tot necessitatibus implicatus , quibus respondet Aug. Necessitates sæculi finiuntur , quandò cupiditates vincuntur. Quot autem occupationibus ipse tenebatur , habes Epist. 158. ubi sic dicit: Inter acervos occupationum , quibus nos alienæ vel cupiditates , vel necessitates angariatos trahunt , vix paululum spatii datur dictandi.

Heu quantum distamus (*k*) ab officio nostro , quod est , non solum publicè concessionari , sed etiam privatim per domos singulas delinquentes , cum lachrymis monere , ut Paulus testatur se fecisse !

Cogimus videri hominibus onerosi , graves & injucundi (*l*) ; quia non possumus esse utiles oblectando , sed morden- do. Nam , ut ait August. (*m*) Phrenetici nolunt litigari , & Lethargici nolunt excitari ; ad quod tamen cogit charitas.

Tantum diligit ac curat Christus pasto- rale officium , ut dicat : Si diligis me , pasce oves meas , id est , hoc est in quo mihi summè placere potes , si eos qui me offendierunt , mihi reconcilies ; ob hoc enim ego sanguinem fudi.

(*k*) Act. 20; Chrys. ad Episc. (*l*) Aug. Epif. 156.

(*m*) Chrysost. de Sac. Tom. 2. Joan. II.

Quantum verò torqueri debeat (*n*) , quandò subditi peccant , habes verba ejusdem Chrysost. Quando , inquit , aliquos vestrum peccare contingit , emoriar nisi videor similis dolore exanimatis , nisi attonitus , ita ut ipsum lumen oculorum meorum non sit mecum. Nam quæ spes mihi , si vos non proficiatis ?

Non solum circa mores , sed etiam circa vestes clericorum debet sollicitari Episcopus , ut dicit Bernard. Epistol. 30. ad Eugenium , quia deformis vestis , deformitatis mentium & morum , indicium est. *Et infra.* O impunitatem incuriae sobolem , transgressionum nutricem , quandò luximus , aut clericum privatum beneficio , aut Episcopum suspensum ab officio !

Rumor quidem (*o*) curis & sollicitudinibus propter vos ; at isti dolores suaves sunt , utpotè similes doloribus & curis quas matres pro filiis habent ; nam gaudet & lætatur super curis suis. Quamvis enim cura sit amara , tamen quoniam impeditur pro filiis , multum habet voluptatis.

Ibidem rogat omnes , ut si quis habet

(*n*) Chrys. Ho. 3. in Acta.

(*o*) Chrys. ad suos subditos. Ho. 4. su. secu. ad Thef.

querelam contra ipsum, accedat ad ipsum; ut aut ipse se excusat, aut ut emendet; quia qui tantam multitudinem gubernat, non potest non delinquere in multis ex ignorantia.

Ut quid dicit Apostolus (*p*): Oportet Episcopum esse Doctorem, nisi ut doceat (*q*)? Nec satis est quod doceat exemplo vitae, immo oportet eum laborare in verbo & doctrinâ. Profectò si præful non pollet gratiâ doctrinæ, plurima ecclesiasticae disciplinæ exempla peribunt. Quomodo enim lucerna, si non lucet? Profectò inseparabile est lucere à lucernâ; tenetur ergo lucere quem Dominus voluit habere officium lucernæ. *Et iterum*: Tenetur in alto non sub modio manere, quia tenetur lucere omnibus qui in domo sunt, &c. Et licet prædicandi studium, primum debeat esse inter sollicitudines pastorales, non tamen omnino deserere debet Episcopus negotia causarum forensium, quibus saepè premebantur sanctissimi viri. Ut enim dicit Posidonius in vita Augustini (*r*), aliquando Augustinus usque ad horam refectionis, aliquando totâ die jejunans vacabat au-

(*p*) Chrys. Ho. 15,(*q*) 1. Ad Tim. 3,(*r*) Cap. 19.

diendis & dirimendis causis Christianorum, & inter differendum de his, de divinis rebus eos monebat, & ibi investigabat quantum quisque proficeret, aut deficeret in vita christiana, peccantes coram omnibus arguebat; hanc tamen occupationem, tanquam à melioribus rebus distrahentem, velut angariam deputabat. Et alibi testatur, quod sæpè homines concurrebant ad ipsum, ut per eum causas suas dirimerent, de auro, de argento, de fundis, de pecoribus. Et lib. de opere monachorum, sic explicat mentem suam monachis: Testem, ait, invoco in animam meam Dominum Jesum, quod quantum attinet ad meum commodum, multò mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de divinis literis agendum, liberas; quam tumultuissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præscindendis (f). Et fero has molestias propter Apost. qui voluit, quod etiam contempti-

biles, qualis ego sum, terminarent has li-  
tes Christianorum, potius quam ut nego-  
tia Christianorum deferrentur in forum,  
quem tamen laborem non sine consolatio-  
ne Domini suscipimus, pro spe vitæ æter-  
næ, ut fructum feramus cum tolerantia.  
Servi enim Ecclesiæ ipsius sumus, & ma-  
xime infirmiorum membrorum. Omitto  
alias innumerabiles Ecclesiasticas curas,  
quas fortasse nemo credit, nisi qui exper-  
tus est, hæc ille. Et ibidem dicit, quod  
Apostolus, quia per varia loca discurre-  
bat ad prædicandum Evangelium, num-  
quam legimus de eo, quod aliquando in-  
tenderet his causis terminandis, & tamen  
christianis in loco residentibus hoc onus  
imposuit, etiam contemptilibus, si dees-  
sent sapientes. Vide etiam 3. c. 6. lib. Conf-  
ubi dicit Augustinus, quod Ambrosius ju-  
giter erat circumdatus turbâ hominum ne-  
gotiosorum, quorum infirmitatibus ser-  
viebat, adeò quod numquam potuit illum  
invenire solum & vacantem, ut posset  
cum illo communicare æstus suos.

Aug. dicit, quod quandò audiebat cau-  
sam inter duos litigantes (t), qui judicem  
illum arbitrum faciebant, si sententia pro

(t) August. Psalm. 25.

divite ferebatur, pauper detrahebat ei, dicens: Aliquid ab illo accepit, timuit offendere illum; favit diviti, & torvis oculis respicit judicem post sententiam: si autem sententia pro paupere contra divitem lata esset, etiam detrahebat dives, dicens: Oppressit justitiam propter famam; timuit enim arguine diceretur quod contra pauperem fecit, &c. Ibi habes quantum deferebant Principes judicio Ecclesiæ; nolebant enim quod appellaretur à sententiis Ecclesiæ ad ipsos, &c.

Ambr. super illud Psalm. (u): *Deprecatus sum faciem tuam*, &c. admonens non remissè agendum cum delinquentibus, ait, in ipsâ Ecclesiâ ubi maximè misereri decet, debet quam maximè teneri forma iustitiae, ne quis à Communionis confertio separatus, brevi lachrymulâ, atque ad tempus paratâ, vel etiam uberioribus fletibus, Communionem quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniae incentivum tribuit delinquendi.

Vis in turbine negotiorum prædicare, &

(u) Psal. 113.

solas divinas Scripturas meditari? Semper tracta cum negotiatoribus aliquid de ipsis divinis litteris. Unde Augustinus (*x*) super illud Psal. *Declinate à me maligni*, dicit, quod monebat negotiatores ad venientes, dicens: Stulte hāc nocte repeatent à te animam tuam, &c. Et quædam alia.

Bernard. pressus occupationibus, sic ait (*y*): Infelix ego homo, natus ad laborem, implumis avicula, penè omni tempore nido exulans, vento exposita & turbini, turbatus sum, & motus sum sicut ebrius, & omnis scientia mea devorata est. Feces vos, quos abscondit Dominus in tabernaculo suo in die malorum donec transseat iniquitas, sub umbrâ alarum suarum.

Chrysostom. de oneribus Episcopalis vitae (*z*): Aut ego, ait, sum vehementer miser & infelix, aut animus Episc. nihil differt à navi quæ fluctibus jaetatur; omnium enim onera gestare debet. Aliis irascientibus datur venia, ipsi verò nequam; aliis peccantibus superest excusatio, ipsi non: omnium linguis expositus, omnium judiciis objectus, sapientum &

*x*) Psal. 118. *y*) Luc. 12. Ber. Epist. 12. ad Cor.

*z*) Chrysost. Hom. 3. in Acta.

Inſipientium , curis perpetuis obtunditur ,  
 tum diurnis , tum nocturnis : loquor de illis  
 qui vigilant pro animabus , non de illis  
 qui ad negotium Episcopale tanquam ad  
 quietem venerunt . Quis possit eloqui in  
 dicendo & docendo ſollicitudinem ? Quis  
 difficultatem in electionibus ? Plus curarum  
 habet Episcopus , quam Imperator orbis .  
 Tantum interest inter unum & alium ,  
 quantum inter aquam fluminis vento agi-  
 tam , & mare intumescens & infaniens ;  
 quoniam Imperator habet plures qui ad-  
 juvant , eò quod legibus & mandatis om-  
 nia peraguntur , Episcopus verò nihil tale  
 neque licet ei ex auctoritate præcipere . Si  
 vehementer commovetur , audit , crudelis  
 est ; si parùm vehementer , audit , remiffus  
 & frigidus est : cùm tamen oporteat in eo  
 hæc duo contraria concurrere , ut neque  
 contemnatur , neque odio habeatur . Mu-  
 ltos , velit , nolit , cogitur offendere &  
 jurgare . Dicam quod ſentio : Non arbitror  
 inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalvi fiant ,  
 ſed multò plures qui pereant . In causâ eſt ,  
 quoniam res excelfum requirit animum ,  
 multas enim habet cauſas , quæ depellant  
 iſpsum à ſuis moribus , & innumeris ocu-  
 lis illi opus eſt undique : quod alii pec-  
 cant , illi imputatur ; nam ſi peccat Pre-  
 byter aut Diaconus , omnium horum cri-

mīna redundant in caput eorum qui hos elegerunt.

Chrysostom. super illud (a) : *Si quis suorum curam non habet, &c.* sic dicit : Si quis aspernatur propinquos genere atque affinitate conjunctos, quomodo erit in alienos clemens ? Judicium quippè omnium erit obnoxius, si alienos beneficiis fovens, propinquos summâ immanitate despiciat. Dicent enim illum esse sine affectione, & assert illud Isa. 58. Carnem tuam ne despixeris, id est, cognatos tuos. Deus enim instituit vincula propinquitatis, ut mutua subesset occasio nos mutuo diligendi, ac beneficiis confovandi. O quam forti patientiae scuto, quantâ animi constantiâ simili & benignitate pollere debet Pastor, qui jugiter atque multipliciter linguis hominum vexatur, importunitatibus exponitur ! Ad quos cum se habeat tanquam signum ad sagittas, viscera tamen ac sinum matris debet illis & ostendere, & expandere ; summè cavens ne in eis exerceat, aut super eos gravet ingenii sui duritiam & asperitatem, si ingenio sit parùm miti, cum potius expositus sit ut omnium quantumlibet aspera ingenia ferat, omnibus se

(a) Chrysost. Hom. 14. 1. ad Tim. 5.

aprando. Hoc summoperè debet curare Pastor ne negotia atque curæ sœculares totum cor ejus vinciant; sed etiam in medio curarum conari debet ad libertatem animi, semper ad Deum divinaq; omnia attendens & aspirans. Ut enim dicit Thaulerus (*b*): Homo exercitatus ad hoc pervenire potest, ut nulla negotia, dicta, audita, facta, & quævis occurrentia ipsum impedire possint à simplici Dei intuitu; quoniam in omnibus solum Deum diligit atque intendit. Et ideo quantumcumque absurdissima audiat vel videat, &c. celerrimè ad Deum vertitur, sicut qui aliquandiu in solem defixit oculos, quicquid deinde aspicerit, Solis ei speciem quamdam repræsentat. Lege, quæso, Epistolam Bernard. 140 (*c*), & videbis quibus hujus mundi negotiis sanctissimus ille Abbas se immiscebatur, qui tamen jugiter ardebat, & lumine contemplationis fulgebat. Igitur in mediis procellis temporalium negotiorum, tunc vel maximè cor ad Deum levandum ad implorandum opem ejus, ad explicandas telas filiorum Adam, quas multis laboribus, & viscerum doloribus texunt, immiscentes

(*b*) Thaule. in Domi. infrà Epiphan.

(*c*) Ad Lotharium Imper.

se infinitis ac frivolis quæstionibus , ut Sa-  
piens deplorat. Cùm autem persenseris (*d*) ,  
quòd immodicis occupationibus ac nego-  
tiis caput debilitatur , cor induratur , &  
arescit , protinus ad lectionem alicujus li-  
bri spiritualis configias , quem semper ad  
manum habere debes , cuius attentâ lectio-  
ne discutias nubes phantasmatum ; ac tan-  
dem affectus tuus in Deum accendatur.  
Falsissimum enim est quod quidam aiunt ,  
videlicèt quòd cum occupationibus pasto-  
ralis officii non possit conservari fervor de-  
votionis. Nonne Sanctus Bonaventura in  
Generalatu , Cardinalatu , Episcopatu eam  
servavit , & multi alii ? Quando post fasti-  
dium laboremque plurimorum negotiato-  
rum aliis supervenit , absit quòd eum à te  
expellas , aut dure respondeas , aut quovis  
gestu vel signo impatientiam & austera-  
tem ostentes ; tunc enim maximè patien-  
tiâ & mansuetudine armari debes. Hoc est  
enim virtutum exercitium. Inter pastora-  
les curas præcipuum locum habet sollici-  
tudo Dioecesim visitandi. Est enim visita-  
tio , quasi anima Episcopalis regiminis ,  
quoniam per eam Pastor se diffundit , &  
expandit omnium fuerum ovium commo-

dis & utilitatibus. Verus quippe Episcopus, dum exit ad discurrendum per omnes Parochias, est quasi sol egrediens ad illustrandas terras, ut videlicet tres actus illos hierarchicos exerceat, qui sunt, purgare, illuminare, & perficere. Procedit enim ad exhortandum, prædicandum, arguendum, increpandum, sacro Chrismate confirmandum, & ut exploret quomodo Sacraenta administrentur, quantâ reverentiâ & munitiâ divinum Sacrificium celebretur, denique ad consolandum omnes lugentes & egentes, tam spiritualibus, quam temporibus commodis. Itaque innumerabiles sunt utilitates quae ex personale visitatione Episcopi proveniunt; & inter alias non parva est, quod præsentia sua potest criminibus mederi, quod non ita utiliter & efficaciter per visitatores fieri potest. Non enim solis dumtaxat excommunicationibus, criminibus, medendum est, aut poenis aliis, sed potius verbis, auctoritate & charitate: obsecrando & increpando, & mille aliis modis, quos verus Pastor & sponsus animarum excogitat, amans gregem quasi sponsum, quam non ita curat mercenarius visitator. Item saepè subditi tam viri, quam fœminæ, habent casus aut reservatos, aut periculofos, quos libenter & fiducialiter communicant suo Pastori, & non aliis.

igitur præ oculis (e) verbum illud apud Luc. Misit, inquit, Dominus discipulos suos in omnem civitatem & locum quo erat ipse venturus. Non sufficit igitur Episcopum mittere probos viros ad illustrandas Parochias, sed oportet & ipsum ire.

---

*Gravitas simul & affabilitas atque  
suavitas à Pastore servanda.*

## CAPUT II.

**B**ERNARD. (a) Esto gravis, sed non austerus, non dissolutus, neque severus; sed interea mediocritatem tene, ut neque de severitate sis oneri, neque de familiaritate contemptui. Austeritas fugat infirmiores; gravitas reprimat leviores; in Palatio Papam, domi te patrem familias exhibe; ament te domestici, si non, fac ut te timeant. Utilis est semper custodia oris, quæ tamen familiaritatis gratiam non excludat; ille convenientior habitus, si actu severus, vultu serenus, verbo serius.

---

(e) Cap. 10. (a) Bern. 4. de consid. ad Eugen.

Gregor. docet (*b*), quod cùm Pastor à subditis de aliquo reprehenditur, non debet ex potestate respondere, sed cum mansuetudine & tranquillitate reddere rationem facti; afferens ad hoc factum illud Petri, Actuum 11. quando arguentibus eum, quia ingressus fuerat domum Cornelii, humiliter respondit ratione redditâ: non enim dixit, ego sum Pastor vester, scio quid facio. Si enim, ait, in querelâ fidelium aliquid de suâ potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Debemus ergo reprehensores nostros humili ratione placare.

Gregor. Honorem meum, ait, non reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Ideo Episcopus honorem debet impendere Sacerdotibus; alioquin justè Presbyter poterit ei objicere illud: Cur ego te habeam ut Principem, cùm tu me non habeas ut Senatorem? 95. *distinct.* Esto subjectus, nam qui contemnit, contemnitur, & frustrâ petit debitum, qui quod debet, non impendit. Et nihil mirum, si non servatur fides non servanti eam. Igitur quamvis justa auctoritas & reverentia sit necessaria, non ta-

men te faciat reverendum aut timendum  
fastus, sed rigor justitiae; non pompa, sed  
gravitas & severitas. Pauperculis ac sim-  
plicibus exhibe te facilem, ac omnino ac-  
cessibilem, imitatus Sylvestrum Papam,  
de quo legitur, quod tantò unumquemque  
amplius honorabat, quantò sanctius eum  
vivere didicisset; non attendens ad fastum  
aut potentiam, sed ad morum elegantiam.

Quantumcumque iniqua vel non con-  
cedenda petantur, etiam ab indignis, non  
ideo dure aut asperè respondendum est, sed  
leniter; neque tamen faciendum quod in-  
justè petitur. Omnis namque Evangelica  
perfectio, ait Caieta. Matt. 11, reducitur  
ad studium humilitatis & mansuetudinis.  
Per humilitatem expandimur divinis gra-  
tiis & donis; per mansuetudinem verò ex-  
pandimur proximis. Ideò Salvator ait: Dis-  
cite à me quia mitis sum & humiliis corde.

Verbum dulce multiplicat amicos (c),  
& mitigat inimicos: lingua grata in bo-  
no homine abundat. *Et ad Roman. 12. Si*  
*fieri potest, quod in vobis est, cum om-*  
*nibus hominibus pacem habentes. Et, quæ*  
*de sursùm est sapientia, primùm pudica,*  
*deinde pacifica est.* Jacob 3.

De benignitate, ac suavitate Pastorum, habes pulchra verba apud Bernar. Charitas, inquit ille, patiens est, benigna est; patiens est, cùm dissimulat, expectat, sustinet delinquentem; benigna est, quandò trahit, adducit, & converti facit ab errore: Charitas benigna, etiam quos tolerat, amat, & amat ardenter. Flet quippè charitas, sed ex amore, non ex moerore; flet ex desiderio, flet cum flentibus. O bona mater charitas, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat proiectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos! Cùm te arguit, mitis est: cùm tibi blanditur, simplex est; piè solet fævire, fine dolo multcere: patienter novit irasci, humiliter indignari: læsa non provocat; spreta revo-  
cat. Pondera quod de Domino dicitur, Isai. 42. Non erit tristis, neque turbulen-  
tus: calatum quassatum non conteret, &  
lignum fumigans non extinguet.

Bernard. de benignitate Pastorum (d): Pastor, ait, bonus omnibus se conformat, omnium in se transfert affectus; matrem se probat non minus deficientium, quam proficientium. Multos videmus, qui quod

crassum est & fortè assumentes, quod debile est projiciunt. Numquid Medicus valentes requirit, & non potius ægrotantes? Quos docebis, magister bone, si omnes indoctos repuleris? In quibus probabis tuam patientiam, si solos admiseris mansuetos, inquietos excluderis? Sciunt quippe boni fidelesque præpositi, languentium sibi creditam curam animarum, non pompam; cumque internum murmur cuiuscumdam illarum querulæ vocis indicio deprehendunt, & in ipsos usque ad convitia & contumelias prorumpentis. Medicos se, non dominos agnoscentes parant confessim contra phrenesim animæ non vindictam, sed medicinam.

Bonus Prælatus sic debet esse humilis & affabilis, quod tamen eum subditi reverentur. Pondera ad hoc, quod Apostoli non sunt ausi quærere à Domino, quid aut cur loquebatur cum Samaritanâ. Et Ambrosium diu dormientem juxta altare, non audebant sui excitare. *Et Job (e),* videbant me, ait, juvenes, & abscondebantur. Apostolus præterea, ut Greg. annotavit, alibi quidem dicit (f): *Quamdiu sum gentium Apostolus, ministerium meum*

(e) Job. XXV.

(f) Greg. Ep. 36, lib. 11

honorificabo, ad Roman. 11. Contrà verò, 2. ad the. 2. Facti sumus, ait, parvuli in medio vestrū, ex quibus verbis exemplum dedit Episcopis, ut humilitatem teneamus in mente, & tamen nostri ordinis dignitatem servemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida, neque erectio sit superba.

Idem Greg. In tuis, ait (*g*), litteris, ex humilitate sermonis patuit cordis tui altitudo, ac tuæ mentis fervor: nisi enim priùs in se faces ardeant, alios non succendunt. Vidimus enim, qui litteras tuas legimus, quantâ charitate tua mens ardeat, qui sic alios accendiſti, &c. Cor Episcopi arca testamenti est, in quo manna dulce charitatis, sapientia legis, rectitudine justitiae in virgâ signatâ continentur.

Cavere debet Prælatus à duris verbis (*h*), nisi quandò necessitas disciplinæ ea dicere compellit, etiam ab his quæ forsitan fr̄bi levia videntur. Nam, ut Bern. ait: Quod tu leve putas, & ob hoc levius præcipitas, plerumque aliis aliter accipit, tamquam homo videns in facie, & secundum faciem judicans; paratus festucam tra-

---

(*g*) Greg. Ep. 125. ad Lean.


(*h*) Ber. serm. 19. sup. Cant.

bem suspicari, & scintillam putare fornacem. Non enim est omnium charitas illa, quæ omnia credit. Proni sunt autem sensus hominis & cogitationes ad malum potius suspicandum, quam ad bonum credendum; præsertim ubi disciplina silentii, nec te, qui in causâ es, excusare permittit, nec illum vulnus suspicionis aperire quod patitur, ut curetur. Ità uritur ille & moritur, clauso & lethali vulnere intrâ semetipsum gemens, dum totus in irâ & disceptatione positus, nihil aliud silens versare in mente possit, nisi injuriam quam accepit, non potest orare, non potest legere, non sanctum, aut spirituale aliquid meditari. Et ità intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis vadit ad mortem anima, pro quâ Christus mortuus est, quid tu interim, quæso, animi habes? Quid oratio tua, aut opus quocumque interim feceris, sapit tibi, contra quem nimis Christus anxiè clamat (*i*) de pectore fratris tui, quem contristasti, filius, inquiens, matris meæ pugnat contra me, & qui simul tecum dulces capiebat (*k*) cibos replevit me amaritudine? Quòd si dixeris, illum non tam graviter pro tam levi causâ

debuisse turbari, respondeo. Quantò levior est, tantò à te leviùs potuit non committi. Quamquā nescio quod leve dicas, ut jam dixi, quidquid amplius est, quam irasci, cùm vel hoc ipsum obnoxium esse judicio, ex ore ipius acceperis judicis? Audiant hoc Prælati (1), qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini, qui judicatis terram, discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari, quam metui. Et si interdùm severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres foven-  
do, patres vos corripiendo exhibeatis, mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typo turgeant. Quid jugum vestrum super eos aggravatis quorum potius onera portare debetis? Cur morsus à serpente parvulus fugit conscientiam Sa-  
cerdotis, ad quem eum magis oportuerat, tamquam ad sinum recurrere matris? Si spirituales estis, instruite hujusmodi in spi-  
ritu lenitatis, considerans unusquisque seipsum, ne & ipse tentetur.

---

(1) Bern. sup. Cant. Ser. 23.



## *Misericordia & largitas Episcoporum.*

### CAPUT III.

**D**E hoc habes notanda verba , *distin-*  
*86. ex. Fratrem , ubi sic habetur : Episco-*  
*pus largam habeat manum , necessitatem*  
*patientibus succurrat , alienam inopiam*  
*suam credat ; quia si hoc non habet , in va-*  
*cuum nomen Episcopi tenet. In ipsâ autem*  
*liberalitate modus adhibendus est rerum &*  
*personarum : rerum , inquam , ut non om-*  
*nia uni , sed singulis quædam præstentur :*  
*ut pluribus prodesse possimus , juxta illud :*  
*Dispersit , dedit pauperibus , personarum*  
*verò , quia primò justis debemus dare ,*  
*&c.*

*Et ibi. Non satis , & sequentibus , ex-*  
*ponuntur circumstantiæ quæ attenden-*  
*dæ sunt in executione liberalitatis , scili-*  
*cet , fides , causa , locus , tempus , modus ,*  
*necessitudo , ætas , debilitas , conditio .*  
*Grandis culpa est , si fidelis egeat te scien-*  
*te , ille præcipue qui egere erubescit : Item*  
*probanda est alia liberalitas , ut proximos*  
*sanguinis tui non despicias , quibus pudor*  
*est ab aliis poscere ; non ut illos divites*

facias, sed ut paupertatem eorum juves. Considera ætatem (a), ut senibus plus lari-  
giaris, qui sibi jam nequeunt viatum quæ-  
rere. Considera etiam debilitatem: con-  
sidera verecundiam quæ ingenuos prodit na-  
tales. Non tamen vult Dominus (b) simili-  
effundi opes, sed dispensari; & in ipso  
pauperibus dato mensuram tenere, ut abun-  
des pluribus. Quanto enim minora sunt  
quæ sparguntur, tanto plures erunt qui re-  
cipiant. Ex puro affectu ac sincero fiat ele-  
mosyna, non conciliandi favoris gratiâ ul-  
trâ modum effundendum. Omnia hæc ibi  
ex Ambrosio.

Ex eodem etiam habetur, 12. q. 2. au-  
rum Aurum habet Ecclesia, non ut ser-  
vet, sed ut eroget, & necessitatibus sub-  
veniat, &c. Melius est ut vasa viventia  
serves, quam metallorum. Sed responde-  
bis: Timui ne templo Dei deesset ornatus.  
Dico tibi quod aurum Sacra menta non  
quærunt, neque auro placent quæ auro  
non emuntur; ornatus sacrorum, redemp-  
tio captivorum est, &c. Ambr. ipse fate-  
tur se aliquando in invidiam hominum in-  
cidisse, quia fregit vasa Dominica, ob re-  
dimendos captivos, ut habetur 86. distin-  
Pulchrarum.

(a) Dist. 86. consider.

(b) Amb. 2. offic. c. 2.

Quomodo misericordiae opera & eleemosynæ sunt efficacia media ad obtinendam gratiam devotionis, & divinas illuminationes, habes Isaiæ 58. Cùm, ait, effuderis esurienti animam tuam, scilicet per compassionem, & animam afflictam repleveris, scilicet per necessariorum subventiones, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & impletbit Dominus splendoribus animam tuam, &c.

Chrysost. dicit (*c*) quòd liberalis anima non finit nostras lampades extingui, internas vestes ex rubeis candidiores nive facit, hæc est quæ in perpetuum tibi servat, quæ hîc possides; hæc facit præclaros homines hîc, & in futurâ vitâ. Melius namque est habere famam misericordis, humani, benigni, quàm eloquentissimi oratoris. Hæc ille. Tu igitur memento ut misericordiæ potius quàm liberalitati serbias; misericordia enim pietatem parit, liberalitati verò sæpè vanitas insidiatur.

Greg. ponit prudentiam largiendi (*d*). Primò enim attendendum, ne serò præbeatur quod citò dandum est, juxta illud:

(*c*) Chrysost. Hom. 53. su. Matt.

(*d*) Greg. in 3. par. pas. c. [21.]

Ne dixeris amico tuo , vade , revertere ,  
 cras dabo tibi , cùm statim possis dare. Se-  
 cundò , ne sub specie largitatis inutiliter  
 spargant sua , aut multa dent , ubi pauca  
 sufficerent , juxtà illud ad Corinth. 8. Non  
 ut aliis sit remissio , vobis autem tribulatio ,  
 qui enim ita sua effundunt , ut postmodùm  
 egeant , frequenter in impatientiam præci-  
 pitantur. Tertiò , ne totaliter vacuum di-  
 mittant pauperem cui semper aliquid , vel  
 parùm dandum est , juxtà illud Luc. 6.  
 Omni petenti te tribue. Quartò , ne ali-  
 quid demus cui nihil penitus dandum est ,  
 ut histrioni , &c.

Greg. scribens (*e*) Dominico Episcopo ,  
 commendat ei quamdam viduam , dicens ,  
 Officii sacerdotalis est , ut viduis ac mari-  
 tali regimine desolatis , impartiri solatia  
 debeat , ut unde in hoc mundo humana  
 consolatione privantur , sacerdotali tuitio-  
 ne possint remedia reperire.

Greg. intercedens pro quâdam (*f*) vi-  
 duâ : Si in proximorum , ait , necessitati-  
 bus , habitâ compassione , benignâ mente  
 occurrimus , nostris procul dubiò petitio-  
 nibus clementem Dominum reperimus , &  
 jubet illi dare certam annonam. Et aliis

(*e*) Greg. Epi. 13,

(*f*) Epist. 57.

plurimis Epistolis commendat viduas, ac jubet Episcopis, quod fint ut earum mariti. Jubet etiam, ut variis personis egentibus, ac monasteriis detur annona ex propriis redditibus.

Idem, ad Bonifacium (*g*) Episcopum, postquam commendat eum, quod operibus misericordiae vehementer insistebat, subjungit. Sed illud, fateor, non leviter mentem meam momordit, quod eadem opera multis vos ipsi nuntiastis. Ex qua re collegi quod mens vestra non studeat Dei oculis, sed humano judicio placere. Unde necesse est, frater charissime, ut cum bona exterius agis, haec interius cum magnâ cautelâ custodias, ne appetitus placendi hominibus subrepatur & omnis labor boni operis in casum fiat.

Idem, *g*. Quidam (*h*) miserat ei pecuniam, ut in eleemosynas dispensaret, responderet. Quod triste sibi erat hoc facere, quia ultrâ onus quod habebat reddendi rationem Deo quomodo dispensabat redditus Eccl. addebatur ei novum onus reddendi etiam rationem quomodo dispensabat alienas pecunias. Et dicit illi: Orate ut ego discretere dispensem, ne unde vos

(*g*) Greg. Epi. 43. lib. 2. (*h*) Greg. Epi. 25. lib. 6.

peccata minuitis (*i*), nos indè cumulemus. Et alibi in simili casu dicit: Oro ut Dominus mihi concedat, absque peccati contagio dispensare, ne maculer, undè vos peccata detergitis.

*Ibidem*, contra quemdam, qui sub xenii specie nonnulla à quodam monasterio sustulerat, dicit: Sine dilatione restitue, ne avaritiæ culpa tē redarguat, quem largum erga monasteria, sacerdotalis magis debuerat munificentia demonstrare.

Idem: Sic operibus (*k*) misericordiæ juxta virtutem substantiæ insistat, ut tamè suprà virtutem insistere cupiat. Et alibi arguit ipsum, quia subtraxerat eleemosynas consuetas à suo Prædecessore, sub quâdam providentiæ specie, dicens: quòd quamquam laudabile sit futura prospicere; infirma tamen est cautela, quæ pietatis adjutorio non munitur; præsertim quia quod tribuitur pauperi non est donum, sed mutuum: quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu percipitur. Hæc ille (*l*). Imò etiam appellatur depositum. Undè fidenter cum Apostolo dicere potest eleemosynarum largitor: Scio cui credidi, & certus

(*i*) Epist. 23.

(*k*) Epist. 20.

(*l*) 1. Tim. I.

sum quia potens est servare depositum  
meum in illum diem ; præsertim Episcopus  
qui non dat parta , aut hæreditate acqui-  
ta , sed ea quæ sibi , ut daret , data sunt.

Idem arguit valdè (m) Abbatem cuius-  
dam Monasterii , quia diu distulit petere  
ab eo eleemosynam annuam ad quoddam  
Monasterium sustentandum. Et hoc , ut ille  
fatebatur , ex erubescentiâ. Arguit autem  
eum , tûm quia certum est quòd ille mi-  
nùs amatur qui adhuc erubescitur : tûm  
quia ipse non dispensabat res suas , sed  
pauperum. Et valdè , ait , accusabilis est  
verecundia , non petere à diligente , &  
tenente locum dispensationis in rebus pau-  
perum. Pondera hæc , ô Pastor ; non lar-  
giris tua , sed aliena. Quid ergò mirum ,  
quòd totâ die lustrent domum Episcopi  
pauperes , cùm sit ea domus dispensatoris  
rerum ipsorum ; possent enim vociferare  
ad valvas , imò usque ad secretum cubi-  
culum dicentes : Da nobis nostra , alio-  
quin contra te vociferabimus ad Domi-  
num rerum tuæ dispensationi commissa-  
rum , dicentes , Domine , non vult nobis  
dare quæ illi ut nobis daret , dedisti.

Bernard. ad Henric. (n) Episcopum Se-

(m) Greg. Epi. 21. lib. II. (n) Bern. Epi. 42.

non. Clamat pauperes ad Pontifices. Cur in superfluitates vestras consumitis quæ nostris debentur necessitatibus? Nostris enim necessitatibus detrahitur quidquid accedit vanitatibus vestris. Quid conferunt tot mutatoria? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis; nos sumus fratres vestri, & vos de nostrâ portione pascitis oculos vestros, & ita vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Duo mala ex eâdem radice prodeunt, dum vos ipsos vanitatem sequendo perditis, & nos spoliando permititis. Et quæ sic consumitis, neque labore manuum, neque negotiationis studio, neque jure hæreditario possidetis, sed bona nostra sunt. Et quamvis hi pauperes, ait, modò non audient aperire os adversum vos, & exigere partem suam, qui bus interim pro suâ vitâ necesse habent potius supplicare, tamen in futuro stabunt in magnâ constantiâ adversus eos qui se angustiaverunt: stante pro eis patre orphanorum, & judice viduarum, qui dicet vobis (o): Quandiu non fecistis uni ex his minimis meis, nec mihi fecistis.

**Idem** : Unde existimas Episcopis nostris

(o) Matt. XXV.

exuberare hanc rerum affluentiam , vestium splendorem , mensarum luxuriam , &c. nisi de bonis sponsæ? Indè est quòd illa pauper , & inops , & nuda relinquitur facie miseranda , inculta , hispida , exanguis ; cùm manus illorum sit custodire & ornare. Jam non est in hoc tempore ornare sponfam , sed spoliare : non custodire , sed perdere : non instruere , sed prostituere: non pascere , sed mactare & devorare , quibus dicit Dominus (p) : Qui devorant plebem meam , sicut escam panis. Nam plus vigilant subditorum evacuandis marfu- piis , quām vitiis extirpandis Alto demer- si sunt oblivionis somno : ad nullum Do- minicæ comminationis tonitruum exper- giscuntur : ut vel suum periculum expaves- cent. Indè est quòd non parcent suis , qui non parcunt sibi , perimentes pariter & pereuntes.

*Greg. 12. q. 2. (q)* : Religiosam , ait , vitam eligiblebus , congruâ nos oportet consideratione prospicere ; ne cujusquam necessitatis occasio , aut desides faciat , aut aliquid sanctæ conversationis infrin- gat. Et Bern. dicit (r) : Egenis & maxi-

(p) Psalm. 13.

(q) Greg. 12. q. 2.

(r) Epif. 206. ad Regin. Hyerusal. Epi. 207.


mē inclusis, curam impendite. Et ad regem Siciliæ dicit, quòd egenis & non cupidis, dandæ sunt eleemosynæ : quia scriptum est (*f*) : Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, non super cupidum, illum in quam pauperem, qui invitè petit, verecundè accipit, & accipiens glorificat patrem suum qui est in cœlis.

Augustinus dicit (*t*) hæc verba : Consanguinei veniunt ad me, aliquando cum minis, aliquando cum blandimentis, dicentes, da nobis aliquid, pater, caro enim tua sumus. Et tamen Dei gratiâ, & vestris orationibus, nondum ditavi aliquem consanguineum ; quia chariores mihi reputo pauperes, quàm divites, quia bona Ecclesiarum patrimonium pauperum sunt. *Et serm. 52, qui est penultimus, & est indubitate Augustini,* dicit, quòd necesse habet Episcopus exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus, sive transeuntibus : quòd si non fecerit, inhumanus sit. Ecclesiastici qui multa colligentes à populo, pauca largiuntur & ferè omnia consumunt, sunt illi de quibus scriptum est qui devorant plebem meam,

(*f*) Psalm. 40.(*t*) Aug. Ser. 21. ad Erc.

sicut escam panis (*u*) : O diligentissimi exactores decimarum , primitiarum , votorum ; & negligentissimi datores verbi Dei ! Dicite , quæso , quomodo in morte fiducialiter commendabitis animas vestras Domino , qui hîc pauperes ejus non pavistis ? Omnis vera cura est , ut redditus Ecclesiæ non minuantur : de diminutione verò fidei & charitatis minor est sollicitudo . Ille dicitur benè rexisse Ecclesiam , qui opes ejus auxit , etiamsi in curandis övibus negligentior fuerit : cùm tamen beatus Greg. æstimator fuerit à successore suo dissipator opum Ecclesiæ . *Dist. 82.*  
*ex Concil. Aurelianen. anno 520 , dicitur :* Episcopus pauperibus , vel infirmis qui non possunt laborare , largiatur victum & vestitum , quantum possibilitas tulerit . *Et in Conc. Aurelianen. 50 , quod est provinciale , & celebratum est circa annum 180 , habes , quod illi qui sunt in carcere ecclesiastico ob aliqua delicta , ab Archidiacono vel præposito Ecclesiæ visitentur jussu Episcopi , & Episcopus deparet personam quæ eos in suis necessitatibus de bonis Ecclesiæ sustentet . Et ibidem subjungitur , quod Episcopus , inter om-*

nes gentes , præcipuè curam gerat infirmorum , qui ultra laborem infirmitatis , constringuntur inopiâ , illisque viëtum & vestitum provideat. *Et in Conc. Matiscon.* 20 , *dicit* , quòd domus episcopalís ad hoc est instituta , ut sine personarum acceptione , omnes in hospitalitate recipiat. Et ideo non debet habere canes , quia non morsibus & latratibus canum , sed hymnis custodienda est domus ejus : ne hi qui confidunt ibi se inventuros levamen miseriarum suarum , versâ vice , morsibus canum lanientur. *Et Hieron. in Epist. ad Titum.* ( *Et adducitur in Conc. Aquisgrani* ) habet hæc verba : Domus Episcopî debet esse commune hospitium omnium ; Laicus enim unum , aut duos , aut paucos recipiens , implevit hospitalitatis officium ; Episcopus , nisi omnes receperit , inhumanius est.





*Studium Prælati in oratione, contemplatione, ac Sacrificii oblatione.*

#### CAPUT IV.

**S**I T Episcopus (*a*) singulis per compassionem socius, super omnes contemplatione suspensus, interiorum curam, exteriorum occupatione non minuens; exteriorum providentiam, internorum sollicitudine non relinquens. Pondera verba B. Thom. 2. 2. q. 135. art. 2. ex. Aug. quod ob sarcinam pastoralem, non est deferenda delectatio contemplationis.

Væ tibi, Episcope, si fons devotionis in te siccatus fuerit. Quid aliud est devotio, quam fons aquæ vivæ, rigans omnia nostra virtutis exercitia, quæcumque sint illa, sine quam mox arescunt? Est etiam vinum cœlestis, cor hominis lœtificans, est balsamus, omnem sanans passionem; est cibus animæ, est lingua quam cum Deo loquimur; quam carens non habet linguam (*b*), ut cum Deo loquatur, ut Ber. ait, est man-

*a)* Greg. in Past. par. 2. c. 5. in prin.

*b)* Eccles. XXIV.

na de cælo, &c. Ipsa est quæ dicit: Spiritus meus super mel dulcis, &c. At non datur diligentibus terrenas consolationes, in mensâ, in honoribus, &c. sicut neque manna datum est, nisi dimissis cepis & alliis Ægypti. Favum dulcissimum devotionis non possunt fabricare porci, sed apes sollicite volantes super flores vitæ Christi, &c. Dulcedo internorum exercitiorum, est cibus animæ, quo confortatur ad labrandum in vineâ Domini, & portandum pondus & æstus externorum negotiorum. Etiam in vertiginibus caufarum fæcularium, semper maneat quædam candela accensa in pectore nostro. Post has autem vertigines, confugiat Pastor ad levamen orationis, & ad colloquium familiarium spiritualium, quos habere debet, quemadmodùm divus Gregor. facere solitus erat. Unde idem in Pastorali dicit (c): Quia valdè inter humana verba cor nostrum defluit, & usus humanæ conversationis indesinenter destruit vim sollicitudinis, atque providæ circumspetionis erga cœlestem vitam oportet quòd per meditationem sacrorum eloquiorum, jugiter restauretur. Et quoniam ad vetustatem vitæ, per fæcularium socie-

(c) Pat. 2. c. 11. ante med.

tatem semper itur, ad amorem spiritualis patriæ, compunctionis aspiratione semper renovetur. Cùmque indubitanter constet, quòd exteriùs occupationum tumultibus cor à semetipso impulsu corruiat: stude-re incessabiliter debet, ut per orationis & meditationis studium resurgat. Ideò David Rex dicebat (*d*): Quomodo dilexi legem tuam? totâ die meditatio mea est. Nunquàm etiam, ait idem, rector à sacræ lectionis studio recedat, Prover. 5. dicitur (*e*): Bibe aquam de cisternâ tuâ, ac deinde fluenta deriventur in plateas, quia, ut ait Greg. prædicator debet priùs potare de sapientiâ suâ, deinde in alios diffundere.

Heu me, quia cùm crederem me fal-tum noctibus in amplexu meæ Rachelis, id est, vitæ contemplativæ quietum, clanculum me invito introduxitur Lia, id est, cura & consideratio diurnorum negotiorum. Greg. admonens Episcopum Carthaginen. ità ait (*f*): Et si cogamur terrenis negotiis intendere, mens tamen nostra sacerulari varietate non defluat, sed tota in unum currat atque confluat finem, de quo David: Unam petii à Domino, hanc requiram, &c. (*g*) In hoc mens se tota

(*d*) Psal. 118.      (*e*) In Past. p. 3. c. 25. à med.

(*f*) Greg. Epi. 62. lib. 5.

(*g*) Psalm. 26.

suspendat? Tunc enim verè atque benè ad opera dilectionis proximi descendimus, si ex toto corde & viribus, in ardenti Dei dilectione persistimus. TImeo tibi, Eugeni, ait Bern. (*h*) ne multitudo continua negotiorum, intermissâ oratione & consideratione, te ad cor durum perducant, quod devotione non incalescit, compassione non mollescit, compunctione non scinditur, & seipsum non exhorret, quia nec sentit (*i*). Unicum refrigerium laborum Episcopi debet esse quandòque configere ad solitudinem, ad orandum & meditandum. Undè *Mar. 6*, habetur quòd cùm Apostoli renunciassent Domino omnia quæ egerant, & docuerant, dixit eis Dominus (*k*): Venite seorsùm in desertum locum, & requiescite pusilliùm. Officium Sacerdotis est, sacrificare, orare, docere, visitare, si est Episcop. (*l*) Quid dignius, & quid ovi- bus utilius, quàm Pastorem offerre quotidiè vitam & passionem Christi Deo Patri pro eis? Benedictus Dominus qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me, hoc est, non amovebit misericordiam suam, quandiu ego non

(*h*) Bernar. de confid. ad Eugen. (*i*) Mar. 5.(*k*) Psal. 65.(*l*) Cyprian. Epist. 2.

amovero orationem meam, &c.

B. Macharius *Ægyptius* (*m*): Perseverare, inquit, in oratione, est caput totius boni instituti, ac vertex omnium honestarum actionum, cuius beneficio reliquas virtutes à Domino obtinemus. Monasteria sunt officinæ virtutum (*n*), ex quibus multi Monachi conducti ad Episcopatū officium pluribus virtutibus quibus in Monasteriis fuerant assuefacti & durati, emicuerunt. Diligenter negotia sunt agenda, sed non anxiè. Memento quod omnia debent servire spiritui, ne pedes suprà caput erigas, nec caput ad utilitatem pedum deprimas. Semper liber atque expansus permaneat spiritus ad radios Domini, & post orationem igneam, maneant cineres æstuantes ad tempora negotiorum. Ad hoc igitur summè annitendum, summisque gemitis à Domino petendum, ut in turbine negotiorum, etiam si obruere animum videantur, animus tamen semper liber, securus, magnusque Domino sistatur. Debemus ergo negotia disponere, & non eis immergi, habentes oculos ad Dominum erectos ac fidentes, dicendo intrà nos illum Psalmum (*o*): Levavi oculos meos,

(*m*) Machar. Hom. 40. (*n*) Ambr. li. 10. Ep. 28.

(*o*) Psal. 120.

&c. Pondera verba dicta Episcopis, Actuum 20. Attendite vobis, & universo gregi; primū vobis, deinde gregi. Occurrentibus difficultatibus, periculis, criminibus curandis, beneficiis aut officiis distribuendis, &c. mox toto corde ad orationem confuge, ad patrem lumen & consolationum, &c. hæc enim jugis impulsio ad orandum, magna occasio est proficiendi. Dicas igitur, Domine, tibi soli in hoc opere placere cupio: illumina ego faciem tuam super servum tuuum. Væ tibi, Pastor, si omissâ paulatim oratione, ac proinde cognitione tui, & officii atque oneris tibi impositi, incipias sine sanctis & rationalibus scrupulis vivere, cum oporteat in dies illis pungi & corrodi, & lumen semper à Deo petere. Fortè David cecidit, quia paulatim in exercitiis spiritualibus remissior factus fuerat. Quandò Pastorem contingat incedere magnâ stipatum catervâ, &c. tune vel maximè mens erigenda in Deum est, ut eo temporis articulo faciebat Ber. recogitans illa esse pura somnia, culicesque circumstantes, mortalesque morituros. Ad hoc autem oportet diligenter mentem spirituali bitumine linire, sicut in arcâ Noe factum est: quoniam per poros etiam corporis, ingredi potest & ventus, & aqua. Jactaverunt te in un-

das Oceani , in summa pericula salutis :  
 vae tibi si incipias gaudere de cathedrâ , &  
 paulatim sanctum amittere timorem , cùm  
 oporteat jugiter clamare ad Dominum (p):  
 Circumdederunt me dolores mortis , peri-  
 culâ inferni inyenerunt me , &c. constan-  
 ter operando quæ oportet , usque ad mor-  
 tem , magnos & continuos semper devo-  
 rando labores. Quidam vir probus dicebat  
 illum scopulum maximè timendum Episco-  
 po , ne ad eum navem illideret , videli-  
 cèt , si obrutus negotiis externis , ac proin-  
 dè affectu intùs arefactus , tepidè oraret , &  
 exercitia spiritualia intermitteret , aut mi-  
 nueret , ac deinde frigidos atque parùm  
 utiles sermones haberet , vel prorsus dimi-  
 teret. Hoc enim fit , ut actus essentiales  
 & principales dimittat , propter minùs  
 principales , ac deniqùè paulatim in defec-  
 tus , & vitia labitur. Contra quod peri-  
 culum non video aliud remedium , nisi ut  
 præter quotidianæ orationis exercitium ,  
 etiam cùm maximè negotia fervent , non  
 tradere totum cor illis , sed inter ea sem-  
 per fervare anhelam affectionem ad manna.  
 Et Apostoli , & Prophetæ inter pressuras  
 mundi , ardebat devotione. Et attende ,

quòd sicut Judæi tantùm colligebant de illo suo manna , quantum erat necessarium atque sufficiens ad totam diem ; ita oportet virum diurnis horis occupatum , tantùm nocturnis vacare exercitiis , quantum sufficiat ad ferenda dulciter officii onera , propter Deum.

Augustinus postquam dixit (q) , quòd numquam poterat longiori morâ querere aliquid ab Ambroſio , propter turbas negotiorum hominum quorum infirmitatibus jugiter serviebat , addit , quòd cum ſæpè ingrederetur cubiculum ejus , non enim vetabatur aliquis intrare , eramus , inquit , ibi in diuturno silentio , ipſo tacite legente , quis enim auderet esse oneri , ſic intento ? deindè diſcedebamus , & conjectabamus eum illo parvo tempore , quod reparandæ menti ſuæ nanciscebatur , feriatum ab ſtrepitū cauſarum alienarum , nolle in aliud avocari . Denique frequenter , qui illum adibant , ne illum perturbarent , taciti revertebantur , licet ipſos vidiffet .

(q) Aug. lib. 6. Confel. c. 3.

\* \* \* \* \*

*Puritas intentionis, & constantia, ac immutabilitas animi in sanctis decretis & consiliis.*

## CAPUT V.

**P**URA intentio, ait Ber. consistit in solâ quærendâ Dei gloriâ & populi salut. Ille sit scopus & finis qui retributionem est daturus. Ut quis sit bonus iudicio hominum, parùm sufficit misericordia his temporibus, cæterùm ut in oculis Dei bonus sit, multùm exigitur! Ad hoc ergò mori debet in te spiritus humānus, cum omnibus suis actibus & affectibus inordinatis. Ciricius Papa, qui successit Damaso, anno 388. in 4. Epist. ad Episcopos, terret eos verbo illo Luc. 12. Cui multùm creditum est, multùm requiretur ab eo, & cui commendaverunt multùm, plus petent ab eo. Qui Sacerdotem seu Pontificem dicit, augustiorem (*a*), prorsusque divinum insinuat vi-

(*a*) Diony. I. c. Eccl. histar. Prosper. I. 3. de vij  
cont. ca. 14.

rum, totiusque sanctæ scientiæ peritissimum. Non quid, sed propter quid faciamus in illa ultimâ examinatione quærendum est. Ibi etiam, cap. 15. definit quid sit diligere Deum: est inquit, animum illi totum tradere, concipere fruendæ visionis ejus affectum, peccati odium, & mundi fastidium. Non carebis infinitis detractoribus & adulatoribus: hi, ait Bern. oblivioni tradendi, illi dissimulandi. Qui in hâc vitâ dicebat quidam Sanctus, ad linguis dolosas attenderit, & non potius intentioni suæ, & menti animum totus intenderit, numquam Deo inserviet, neque hominibus utilis erit. Heu me, quia nondum excitatus à somno terrenarum affectionum cum Samuele, neque cælesti carbone purgatus cum Isaïâ (*b*), neque linguâ à Deo tactus cum Equitio monacho, de quo refert Greg. in Dial. quod sensit sibi à Deo tangi linguam, ut se deinceps non posset continere à dñinis eloquiis, eum nihil horum haberem, in magistrum populorum datus sum. Pravi, ait Greg. non curant respicere meliores quos imitentur, & quorum comparatione nihil sunt: sed pejores quorum comparatione, aliquid sibi

(*b*) Isaïæ 6. 1. 4. c. 4. p. 4.

esse videntur. Non conquiescat opera tua, donec, vel in modico saltem, assimileris Martino, Ambrosio, cæterisque Pastori- bus sanctis. Recordare quod sanctus Monachus est velut lucerna sub modio: idem autem Episcopus factus, ponitur super excelsum candelabrum, ut clarissimorum operum & sermonum ubique radios emittat, etiam si laboribus, quemadmodum de lucernâ est in proverbio, consumatur. Væ autem ei qui in alto constitutus, radios non emittit, sed fumigat tepidate suâ, socordiâ, tenacitate, fastu, deliciis. Hæc est differentia inter illum qui veraciter quærerit sanctitatem, & illum qui principaliter quærerit apparentiam sanctitatis: quod alter illa opera studet facere quæ plus scit Deo placere, quamvis non multum approbentur ab hominibus, neque adeò illustria appareant: alter vero illa opera bona primo loco facit, quæ hominibus illustriora videntur & gratiora; verbi gratiâ, expendendi sunt mille aurei, vel in usus pauperum, vel in aliqua insignia commoda animarum. Constat planè hoc opus reverâ præstare illi, illud autem judicio populi, qui nihil nisi terrena sapit esse præstantius. Quisquis ergo verè sanctus est, hoc faciet; qui vero apparen- ter tantum, ad illud magis inclinabitur.

Non ergò intendas apparere, sed esse bonus; quidquid homines censeant, quorum judicia qui non contemnit, servus Christi non est. Quid conquereris, quasi officium Pastoris sit impedimentum deyotionis? Verè enim nihil aliud est, quam continuum exercitium altissimarum virtutum, scilicet, charitatis, justitiæ & misericordiæ. Quod ardenter exercitium, quam eretto in Deum corde, per varia loca discurrere, querendo, sitiendo, & procurando animarum salutem? Quod tamen tunc & utilius aliis, & facienti dulcius est, cum sit à proprio sponso & Pastore. Hoc autem non extinguit, sed auget devotionem, modò adsit pura intentio, & sæcularium desideriorum contemptus. Unicus finis, unicus scopus, unica consolatio, unicum refrigerium pastoralis officii est, adducere animas ad cognitionem & amorem Dei (c). Apostolus vocabat conversos à se, gaudium meum & corona mea. Hoc est autem maximum laborum omnium levamen. Mens mea solidata est, & in Christo fundata, dicebat sancta Agatha (d). Stultus mutatur ut luna, justus permanet ut sol, & quasi fundamentum sempiternum, quia confirmaz-

(c) Philip. 1.

(d) Ecclesiastici 27.

tum est cor ejus, &c. Hanc igitur animi  
firmitudinem, atque constantiam in rebus  
benè deliberatis, sanisque consiliis habere  
Pastores debent; exemplaria incorrupta  
esse debent, qualia sunt Christus, Aposto-  
li, & sancti viri. Ideò super actionibus  
quæ manifestè pertinent ad evangelicum  
Episcopum, non oportet consulere quem-  
quam. Insanire puta, si quis aliud con-  
sulerit. In hoc uno omnes reputa velut  
mente captos, ob mundi consuetudinem.  
Væ cæcitati nostræ, ait Augustinus, quia  
consuetos pessimos abusus, non solum non  
exhorrescimus in aliis, sed in eos etiam  
nos ipsi aliquandò incidimus. Tremenda  
Epistola 8. Bernar. (e) qui cuidam Bruno-  
ni docto viro consulenti an acceptaret  
electionem Archiepiscopatûs Coloniens.  
omnino recusat dare ei consilium, sed fo-  
lum dicit se oraturum pro eo; quia tamen  
ipse nihilominis acceptaverat, sequenti  
Epistolâ terret eum electione Saulis & Ju-  
dæ, & super omnia commendat ei humi-  
litatem. Bernard. ad magistrum Gaufrí-  
dum (f): Tu, inquit, habes à Deo scien-  
tiam, spiritum libertatis, verbum vivum  
& efficax, & sale conditum; ideo oportet

te nunc non deesse Ecclesiæ schismate turbatæ. Non potest mundus odiſſe adulatores suos , reprehensores autem semper odit : undè Joan. 7. Non potest mundus odiſſe vos , me autem odit ; quia ego testimoniūm perhibeo de illo ; quòd opera ejus mala sunt , quia multi hujus temporis Pastores , sunt canes muti ; ideò non odio habentur à carnalibus.

Recole semper illam verissimam sententiam , quòd id quod verum & probum est , à paucissimis probatur ; quod multitudo probat , hoc ferè erroneum & pravum est. Vulgi sententia est : Non hunc , sed Barrabam , id est , melior est Barrabas Christo : dicit Joan. Bapt. Ecce Agnus Dei : credemus huic uni , an toti mundo ? Igitur non vulgares opiniones , sed paradoxas , id est , à corrupti vulgi opinione remotas , debemus sequi , & de rebus judicare juxta earum naturam , non juxta abusus , & judicium corrupti sacerduli. B. Thom. super Matt. 11. dicit , quòd qui nimirū atten-dit ad voces hominum , nihil rectè faciet , citans illud (g) : Qui observat ventum , numquām seminat ; & qui observat nubes , non metet. Attende , quòd Prælati ferè

peccant, quia molles & remissi, & quia consanguineis & amicis expostulantibus succumbunt. Tu verò efflagita à Deo constantem animum, & in nullo declinantem ab his quæ secundùm ipsum expedire cognoveris: Ideò ne cedas his qui contraria suadent, quâcumque importunitate consiliorum aut precum. Nihil in hâc vitâ habes quod amittas, nullum à quo aliquid speres, neminem quem meritò timere debeas. Ideò constantissimè ac prudentissimè contendere ad solam divinam voluntatem in omnibus sectandam. Deus enim dissipavit ossa eorum qui hominibus placent.

Qui jam diù in Ecclesiâ præsunt, frequenter languescere solent, & veluti callos obducere, ne quæ malè fiunt, molestè ferant. Undè & aliqua quæ ante intolerabilia reputabant, facile tolerant. Absit, absit hoc; quandiu durat vinculum redendæ rationis, quâ ratione cessare possumus: Quòd zelus negligentiam dormiat, inexcusabile est, ait Bernardus.



*Humilitas, ac modestia Prælatorum,  
quoad statum & personam.*

## C A P U T . VI.

**Q**UI dicit se in Christo manere (*a*), debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Quod igitur aliud exemplar statūs vestri quæritis, ô Pastores, quam Dominum Jesum? Cur putatis jam abrogatum esse decretum illud? Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, &c. (*b*). Nulla consuetudo, nulla præscriptio, potest abrogare hunc Canonem divinum: Ponderate verba Lucæ 16. Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Dicunt aliquandò Pastores: Non possumus subditos nostros in obedientiâ & officio continere, nisi splendore vitæ & pompâ, auctoritatem apud eos consequamur. Ô cæcitatem insignem, Ministri Christi prudentiores Christo esse volunt! Christus namque mediantibus hominibus plenis spiritu suo, id est, spiritu humilitatis & pau-

(*a*) Luc. XXII.(*b*) 1. Joan.

pertatis, mundum subegit, ac spiritum carnis & mundi expugnavit: modò verò dicitur; spiritum mundi non posse expugnari, nisi mediante spiritu mundi, id est, nisi Pastores armentur pompâ ac fulgoře sacerdotalis potestatis (*c*)? Quid magis præposteriorum potuit excogitari? Non potest, inquit Dominus, Satanas Satanam ejicere, id est, homo habens spiritum mundi, non potest ab aliis expellere eumdem spiritum mundi. Pastores pomparum, sacerduli sectatores destruunt illud encomium Ecclesiæ, Canticorum 1. Nigra sum, sed formosa. Nolite me considerare quod fusca sim: quia decoloravit me Sol, id est, Christus. Quod ad litteram significat, Ecclesiam esse exterius quidem nigram, ob crucis mortificationem & contemptum exteriori fulgoris, interius tamen formosam, propter donorum cœlestium pulchritudinem. Unde Pastor qui renunciat splendori statûs ob Christi amorem, potest dicere illud (*d*): Nolite me considerare quod fusca sim: quia decoloravit me sol, id est; si non habeo externum splendorem, amor & imitatio Christi sponsi fe-

(*c*) Mar. 3.(*d*) Can. 1.

cit hoc. Unde & Dominus dicebat (*e*): Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, id est, non rejecerit me ob hanc externam nigredinem, & abjectionem quam elegi. Bern. postquam exclamasset contra fulgorem, & regium apparatum Prælatorum, sic subjungit: In amarissima pace nunc sedet Ecclesia, impugnata moribus suorum Pastorum. Non fugare, non fugere eos potest, sicut antiquitus fugabat persecutores hæreticos, & fugiebat persecutores Principes: ita invaluerunt & multiplicati sunt super numerum. Denique concludit: Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiae. Dicunt enim multi Pastores: Nisi habuerimus fulgorem statūs, contemnemur ab omnibus. Si hæc ratio urget, cur Dominus venit in humilitate statūs, cùm sciret se per hoc à reprobis contemnendum? Augu. super illud Psal. (*f*) *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo*, dicit: Si es verè Christianus, para te, quia conculcandus es, in torculari es, & ideo conculcationem evadere non potes. Nos, dicunt mundani, *Sap.* 2, vitam sanctorum putabamus insaniam, igitur si

(*e*) Luc. 7. Bern. Ser. 25. 27. 33. su. Cant.

(*f*) Psal. 55.

ansanus reputari non vis , sanctus esse non vis. De B. Martino legimus, quod impunè à suis clericis irridebatur , & contumeliis afficiebatur , & ex monacho factus Archiepiscopus Turonens. idem constantissimè perseverabat , qui prius fuerat : eadem in corde humilitas , & in vestitu vilitas. In Ecclesiâ nemo illum sedere vidit , domi autem tripode utebatur. Cum hoc tamen , ita plenus auctoritatis & gratiæ , ut egregiè impleret Episcopi dignitatem. Illud autem Apostoli ad Tim. Nemo adolescentiam tuam contemnat , nihil aliud significat , nisi (g) : Nihil facias unde te contemptibilem exhibeas ; quod si citra culpam tuam , Apostolicos mores sectando contemneris , age gratias Deo , quemadmodum sancti faciebant , & læto animo cum David canta (h) : Adolescentulus sum ego , & contemptus , tamen iustificationes tuas non sum oblitus. Domine , propter te sustinui opprobrium , operuit confusio faciem meam , extraneus factus sum fratribus meis , &c. (i) Quare ? Quia zelus domus tuæ comedit me , & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me , id est , zelus ac-

(g) 1. Tim. IV.

(i) Psalm, 62.

(h) Psalm. 118,

quicquid animas tibi, me coegit ad humilitatem Apostolicam sectandam. Scio, Domine, quod non ex ore potentium, sapientum, ac pompatice incidentium, sed ex ore infantium, & lactentium, id est, simplicium, & contemptorum Apostolorum, voluisti sapientiam tuam atque gloriam perfectè manifestari. Nulla igitur, inquit Ber. (k) splendidior gemma in ornatu Pontificis, humilitate, quo enim ceteris celior, eo humilitate apparet illustrior: Nulla potest ita hominum Tyrannidem debellare. Ad quem magis pertinet verbum illud (l): Discite à me qui mitis sum, & humilis corde, quam ad ministram Christi in reductione animarum ad ipsum. Heu quo devenerunt Pastores nostri! Sanctos & spirituales honores contemnunt; & glorias græcas consequantur, de quibus vide, 2. Macha. 4. Quæ utilitas, quæso, vestiarum pomparum; à fructibus earum cognoscetis eas: fructus earum sunt ambitio, cupiditas, libidinesque vestrorum: clericorumque fervor devotionis penitus extintus. Vesti Canonici, qui debuerant esse primi cooperatores & coadjutores ad omne bonum, hi frequenter sunt primi hostes

(k) Bernar, 2. de confi. ad Euge. (l) Matth. 11.

spiritualis vitæ , humilitatis , modestiæ ; ac disciplinæ. Quomodo ergo potestis , vestro fastu & pompâ exterminare de mundo fastum , & satanicas pompas , quibus in baptismo renuntiavimus ? Constat autem officium pastorale à Deo esse institutum , ad omnia vitia ab Ecclesiâ eliminanda. Ad hoc enim à Deo dati estis præfules , ut depravatos mores ac leges mundi , verbis & exemplis viriliter impugnetis : quas David vocat vanitates , & infanias falsas ; non potestis (m) autem veras mundi infanias exterminare , nisi Apostolica documenta , & exempla (n) , quæ mundus infanias vocat , viriliter sectemini , & infanos propter Christum vos appellari patiamini : ut cum Paulo dicere possitis (o) : Nos stulti propter Christum , vos autem sapientes in Christo. Si decreta sanctorum Consiliorum veneramini , illud imprimis decretum Concilii Carthag. 4. cui B. August. interfuit , in imo corde defigite , quod sic habet : Episcopus vilem supellecilem & mensam , ac viatum pauperem habeat , & dignitatis suæ auctoritatem , fide , & vitæ meritis quærat. Hæc

(m) Psalm. 39.

(n) Psalm. 39.

(o) 1. Cor. IV.

Sunt arma Christi & Apostolorum , quibus mundi regnum cum suo Goliath expugnandum est. Non eget Christus armis Saulis ad sua bella gerenda : non eget pompis , & splendore fæculi ad populos in fide & obedientiâ continendos , ut multi temerè asseverant : qui ad excusationem dicere solent , non est ad extrema declinandum , communis via tenenda est : profectò si antiqui sancti , & Pastores non tenuissent extrema , nec declinâssent ad Apostolicas singularitates , numquam neque sancti fuissent , neque calendaria nostra suis nominibus ornâssent , neque breviaria gestis suis implâssent. Qui autem tritam secuti sunt viam , vel ignorantur eorum nomina , vel sordent , nec semen sanctum post se reliquerunt. Si trita sequenda via est , quare B. Gregorius electus in Pontificem , mox è domo suâ omnes fæculares juvenes explosit , & solos probatos clericos , vel monachos , secum retinuit ? Sileant ergò mores omnes , qui non sunt Evangelico spiritui , doctrinæ , & exemplis sanctorum conformes , juxta illud (p) : Omnis plantatio quam non plantavit pater meus cælestis , eradicabi-

tur. Profectò non est superba singularitas; quòd unus aut alter Episcopus hujus ætatis, nolit conformari in fulgore statùs Episcopis sui sæculi: imò maxima superbia, & damnanda singularitas est eorum, qui audacter documentis & exemplis antiquorum Patrum contradicunt, & intolerabilius est quod allegant, oportere scilicet servire tempori, quasi spiritus Christi, & evangelica norma mutari debeant cum tempore ac opinionibus, & affectibus hominum servire; cùm potiùs omnia tempora sint evangelicæ institutioni conformanda, & juxta normam evangelici atque apostolici spiritùs reformanda. Officium carnis non spiritus est, quòd nostra tempora non ferant illam antiquorum Patrum modestiam, & humilitatem externam. Officium carnis est, semper excogitare apparentes rationes quibus se muniat, & commoda sua defendat, nec desunt ei innumeri Doctores & Patroni, qui partes ejus tueantur. At verba Dei, & Sanctorum testimonia, firma stant; quoniam statuit ea Dominus in æternum & in sæculum sæculi. Cujusmodi sunt illa (q): Vos autem non sic, &c. Non dominantes in clero, sed forma facti gre-

gis ex animo , & alia penè innumera. Hæc autem promulgata non sunt , ut varientur cum tempore , sed ut illibata permaneant in omni tempore , & eis serviant omnia tempora. Quoniam Joan. Gers. in secundâ parte suorum operum collegit egregium opusculum , cuius titulus est : *De temperantiâ , & modestiâ Prælatorum* , in quo multa scitu dignissima ad hoc institutum refert ; ideo operæ pretium existimavi , sum- mam hujus tractatûs paucissimis hîc verbis comprehendere. Statuit igitur hanc conclusionem. Expedientius & efficacius est Prælatum declinare ad austерitatem vitæ in mensâ , vestibus , & numero servorum , & reliquis pertinentibus ad statum suum , quam hominibus sœcularibus in talibus conformari. Quam quidem conclusionem probat hoc modo ; tria enim possunt movere Prælatos ad hoc.

Primò , ut placeant Deo , & hoc mani- festum est non placere Deo , cùm sit con- tra exempla Christi & Sanctorum ; & ma- nifestum est etiam plus placere Deo ope- ra pietatis , in quibus possunt expendi ea quæ in prædictis expenduntur. Mentitur ergò iniquitas sibi , cùm dicit se per talia velle Deo placere , cùm in rei veritate pla- cere non intendat , nisi sibi , vel mundo. Secundò potest movere eos ad hoc spiri-

## 2 SECUNDA PARS

tualis profectus subditorum, quos tamen constat hâc ratione nihil proficere; cùm huiusmodi pompa plus scandalizet homines sæculi, tam principes, quàm alias omnes, quàm ædificet. Ex hoc enim concitantur ad murmurationem, invidiam, cupiditatem, indignationem, &c. Habent enim ex præcepto B. Petri illud (r): Non dominantes in clero, sed forma facti regis ex animo. Undè propter hoc tenentur esse forma humilitatis & sobrietatis. Videntes autem fastuosè, potius sunt forma ambitionis, cupiditatis, vanitatis; dùm hoc ipso, subditos suos ad similia compellunt. Exemplum enim Prælati quodam modo cogit ad similia, juxta illud Pauli ad Petrum (f): Tu cogis gentes Judaizare, &c. Sed quorsum attinet ad hoc scripturas allegare, cùm experientia hoc ipsum evidenter clamet? Nam undè tanta devotio principum, & aliorum sæcularium ad antiquos Prælatos, tantaque reverentia, nisi quia tales pompas vilipendebant? Tùm etiam, quia videbant eos esse fideles dispensatores bonorum ecclesiasticorum, largissimè eis communicabant divitias suas. Postea verò, videntes eos in pompis eas

consumere, non solum retraxerunt manum,  
sed ipsa etiam ecclesiastica bona invaserunt.

Sed fortè dicent, sic vivimus, ut conformemur iis quibus convivimus. Ad hoc respondet ille qui dixit, nolite conformari huic sæculo, &c. Dicunt etiam (1): Sic vivimus, ne inter alios erubescamus. Ad hoc dicitur, quod non erubescenda humilitas Christi: neque vilitas, quæ propter eum sustinetur. Dicunt etiam, sic vivimus ne reputemur avari, & hypocritæ, si fuerimus in talibus cæteris parciores. Hæc ratio vim haberet aliquam, si non esset alius modus rationabilior, & justior, per quem à cordibus hominum hanc opinionem evellerent. Verissimum enim est oportere Prælatos amovere debere à se suspicionem avaritiae, & hypocrisy: cum debeant proximis bonam famam, sicut Deo bonam conscientiam. Unde fateor quod si Prælatus parce vivit, & nihilominus mille modis extorquet pecunias, & thesaurizat: iste indubie abominabilior est coram Deo, & coram hominibus contemptibilior, quam illi qui splendidè vivunt. Quamobrem ita vitam suam instituere debet, ne avarus æstimetur, &

pecuniæ congregator. Similiter addit Ger-  
son, dicens: Prælatus non solum licet potest dare eleemosynas in publico, & ante se tubâ canere, hoc est, se manifestare, cum dat eleemosynas, sed etiam ad hoc ipsum tenetur, pro loco, & tempore: quoniam positus est in exemplum aliorum, velut lucerna ardens super candelabrum, ut omnibus luceat qui sunt in Ecclesia. Quod si fecerit, omnis utique avaritiæ suspicio tolletur. Ille enim qui dixit (*u*): Cum facis eleemosynam, noli tubâ canere, &c. etiam dixit (*x*): Luceat lux vestra coram hominibus, &c. per hoc docens, opera Christianorum, & specialiter Prælatorum, & in abscondito esse facienda, quoad intentionem non captandæ laudis humanæ, & in publico etiam, propter augmentum divinæ gloriæ. Unde Gregorius: sic fiat opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto. Sed dices. Hoc est præcipitare Prælatos in tentationes inanis gloriæ, qui est subtilissimus quidam ventus: Fateor hoc verum esse. Quapropter non debet acceptare Prælaturam, nisi qui fuerit diu jam humilitate, & fervore devotionis, & cæteris virtutibus exercitatus. Væ enim

illis, qui ante hujusmodi exercitia, tantum onus suscipiunt: quia multis difficultatibus se ipsos involunt: cùm ex alterâ parte teneatur opera sua facere in publico, & ex alterâ pateant præcipitia tumoris, & vanitatis. Difficile autem est id rectè agere quòd non ante didiceris. Atque in hunc sensum exponit Greg. illud Job. 18. Posuit in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat. Non tamen arbitretur Prælatus, quantâcumque polleat sanctitate, posse se omnino evadere invidias, detractiones, & calumnias malignantium. Sed contemnat se à talibus contemni, nec extimescat eorum scandalum, quia in tali casu Dominus dicit (*y*): Cæci sunt, & duces cæcorum. Quid mirum, si omnes contradicunt tibi? Nonne de Domino dixit sanctus ille Simeon (*z*): Ecce positus est hic in signum cui contradicetur? *Et David*: Astiterunt Reges terræ, &c. *Et Hiere*. Omnes contradicunt mihi. *Et Actuum ultimò*: De secundâ hâc notum est nobis, quòd ubique ei contradicitur.

Tertiò, ait Gerson, possunt Prælati moveri ad hoc genus vivendi splendidum, propter auctoritatem Ecclesiæ, ut videlicet habeant

(*y*) Matth. XV, Lucæ II.

(*z*) Psalm. 2.

tur in pretio. Et quidem hæc ratio est, velut Achilles eorum, propter quam multos alunt familiares, qui utinam non tales essent, qui & Episcopi, & Ecclesiæ auctoritati detraherent, &c. sed hæc ratio nullius momenti est. Primo, quia cum honor sit præmium virtutis, ipsi tenentur oves suas docere, ut homines præcipue propter virtutem honorent, non propter fastum & pompam. Unde exquirentes honorem hâc ratione, docent errare oves suas, scilicet, ut putent splendorem vitæ, veram esse causam honoris. Unde beatus Jacob. (a) Damnat illos tamquam acceptores personarum, qui honorant divites ob vestem fulgidam, &c. & spernunt pauperes: *Et Bern. ad Eugen* (b). Tu Pastor procedis deauratus, tam multâ circumdatu varietate, oves quid hîc capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quam hominum pascua hæc. Siccine faciebat Petrus? Sic Paulus suadebat? Absque his crediderunt Apostoli, & apostolici viri, posse impleri salutare illud mandatum (c): Pasce oves meas. Item si Episcopi in hoc zelant auctoritatem Ecclesiæ, cur suos cu-

(a) Cap. 2.

(b) Ber. lib. de confi.

(c) Joan. XXI.

ratos in sordibus, & abjecto statu derelin-  
quunt: imò & aliquando nudari patiuntur?  
His etiam addo, quòd principes ac nobiles  
potius irrident, quàm revereantur fastum  
hunc; pauperes autem minùs audent ad  
tales accedere, ut ab eis pastum vitæ sus-  
cipiant. Et videntes eos in otio & epulis  
vivere, se verò egenos & in laboribus vi-  
tam ducere, invident eis atque detrahunt:  
quos si viderent in humilitate vivere, ama-  
rent, ac eorum exemplo labores suos æqua-  
nimiter ferrent. Tertiò, dico quòd utique  
debent procurare ut honorentur, ac in re-  
verentiâ habeantur, sed distinguendum est  
de honore. Duplex enim est honor; qui-  
dam est quem mundus solet exhibere Do-  
minis, ac Principibus fæcularibus, ac di-  
vitibus. Alter est, quem homines solent  
exhibere viris sanctitate præstantibus. Et  
primum quidem genus honoris quærere  
non debent juxta illud (*d*): Non dominan-  
tes in clero. Debent ergò quærere secun-  
dum, quod contra tamen plerique faciunt.  
Undè fit, ut quàmvis non incident in con-  
temptum primo honori contrarium, non  
tamen vitant contemptum contrarium se-  
cundo: imò homines videntes eos splendi-

dè vivere, reputant eos mundanos, ac filios hujus sæculi. Quòd si contingat ob sanctimoniam contemni, nonne scriptum est (*e*): Beati eritis cùm vos oderint homines, &c. *Et iterum*, per gloriam & ignobilitatem, &c. O miserandam stupiditatem! Ardet vitiis Ecclesia, flammis vitorum uritur sponsa tua: vix reperitur unus aut alter qui in toto corde suo Dominum quærat, & Episcopus vacabit splendori statūs, ac deliciis, cùm oporteret sacco & cinere indutum gemere, vociferare, jejunare, & nudis pedibus cum Isaiā incedere? Crescunt morbi, defunt Medici, videlicet clerici probi & docti: & facultates Ecclesiæ quibus Medici emendierant, consumuntur in splendore statūs: Clamandum erat cum Moyse, *Nume.* 11. Non possum portare populum hunc; interfice me, ne tantis afficiar malis, & Pastores Evangelici vacabunt deliciis & pompis? Versatur in summo periculo æternæ damnationis Episcopus, cuius curæ tot animalium salus credita est, & in tanto periculorum pelago navigans, de splendore vita, atque deliciis sollicitus erit?

---

(*e*) *Luc.* VI. 2. *Cor.* VII.

Quod Prædicatio sit præcipuum Episcopi munus.

CAPUT VII.

**Q**UID aliud est Episcopus, quam quidam suæ Diœcesis sol, & homo totus igneus, totus conquirendis Christo animabus intentus, exemplo semper & verbo sæpiissimè prædicans? Unde Apostolus ad Tim. (a) Attende, inquit, lectioni, & exhortationi, & doctrinæ. Et iterum: Attende tibi & doctrinæ, insta in illis: sic enim te salvum facies & eos qui te audiunt. Ac terribilibus verbis eum obtestatur (b). Testificor, inquit, coram Deo & Christo Jesu, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus, prædica verbum, insta opportunè, importunè, &c. Et instantiam suam in verbo, Ephesiis his verbis testatur, Actuum 20. Per triennium non cessavi die, & nocte cum lachrymis monere unumquemque vestrūm. Huc pertinet illud ar-

(a) 1. Tim. IV.

(b) 2. Tim. IV.

dentissimum verbum ex Psalmo 2. (c) Ego  
ait Christus, constitutus sum Rex ab eo,  
suprà Sion montem sanctum ejus, prædi-  
cans præceptum ejus. Quid hîc dicitis, otio-  
si Pastores, qui Cathedras prædicandi am-  
bitis, & officium ac munus prædicandi ne-  
gligitis? Christus se dicit constitutum Re-  
gem ad prædicandum, vos autem dicitis  
non posse vos simul regere & prædicare?  
Poterant quidem utrumque Patres nostri,  
**Gregorius, Ambrosius, Augustinus, &c.**  
Regebant Ecclesias suas, prædicabant,  
scriebant, &c. Quod si per impedimen-  
ta utrumque præstare non potestis, alia  
per alios exercete, vobis verò docendi  
officium reservate. Hoc enim vobis præce-  
pit Concilium Carthaginense quartum his  
verbis: Episcopus gubernationem vidua-  
rum, & pupillorum, ac peregrinorum,  
non per seipsum, sed per Archypresbyte-  
rum, aut Archidiaconum agat. *Et infra,*  
Episcopus nullam rei familiaris curam ad  
se revocet, sed lectioni, & orationi, &  
verbi Dei prædicationi tantummodo vacet.  
Quod sancti illi Patres ab Apostolis Actuum  
6. acceperunt, dicentibus: Non est æquum  
nos relinquere verbum Dei, & ministrare

mensis, &c. Quod si pauperum, ac vi-  
duarum curam posthabuerunt muneri præ-  
dicandi, quanto magis posthabuissent au-  
dientiam litium, & quæcumque forensia  
negotia? Quid intolerabilius, quam Epis-  
copum totum tempus prodigere in litibus,  
& discordiis sœcularibus audiendis, & exi-  
guum aut nullum facris lectionibus, & me-  
ditationibus tradere, quatenus possit sanc-  
tis sermonibus, & exhortationibus, ovium  
fuarum animas ad terrenorum contemptum  
& cœlestium amorem inflammare? Sed  
sunt tamen quidam hujus temporis Paſto-  
res, qui dicant, habemus idoneos Præ-  
dicatores, qui hoc munus commodiūs  
exerceant. Hoc adeo exhorruerunt Patres  
noſtri, ut in Concilio Hispalensi. 2. quod  
celebratum eſt anno Domini 630. habeant-  
tur hæc verba: Episcopo præſente, non  
licet Presbytero populum docere, aut  
exhortari, &c. Profectò eti. Episcopus  
ſit minùs doctus, aut minùs eloquens,  
habet tamen aliquid, & majus, & for-  
tiuſ verbum Paſtoris, ſicut lac matris uti-  
liuſ eſſe cenſetur, laete nutricis. Audiant  
igitur Episcopi conſilium Jethro, & eiſ  
dictum à Domino putent quod Moysi ille  
ſuggeſſit hiſ verbiſ. (d) Eſto tu populo in

---

(d) Exod. 8.

his quæ ad Deum pertinent, ut referas  
quæ dicuntur ad eum, ostendasque illis  
cærimonias ritumque colendi, & viam  
per quam ingredi debent. Provide autem  
viros timentes Deum, in quibus sit veri-  
tas, & qui oderint avaritiam, & consti-  
tues eos judices minorum, majora vero ad  
te deferant. Contra quod faciunt Episcopi,  
qui avulsi à dulcedine Scripturæ, & sacris  
meditationibus totos se tradunt litibus, cu-  
ris, ac forensibus negotiis, dimitentes  
essentiales actus sui officii, pertinentes ad  
salutem animarum, scilicet, meditatio-  
nem, prædicationem, lectionem, visita-  
tionem Dioecesis, &c. Summus Pontifex  
erat Gregorius, & tamen imprimis astric-  
tum se agnoscebat ad officium prædicandi:  
undè scribens ad Dominicum Episcopum  
Carthaginense. sic ait (*e*): Episcopi est, de  
prædicationis ministerio semper cogitare,  
intentissimo timore considerans, quod re-  
cessurus ad percipiendum regnum Domi-  
nus, & talenta servis distribuens, dicat:  
(*f*) Negotiamini dum venio. Quod pro-  
fecto negotium tunc verè nos agimus, si  
vivendo & loquendo, proximorum ani-  
mas lucramur; si infirmos in superno amore

roboramus ; si protervos & tumidos ; gehennæ supplicia terribiliter infonando , flectimus ; si nulli contra veritatem parcimus , si supernis amicitiis dediti , humanas inimicitias non timemus . Sed ad hæc ego pondus meæ infirmitatis expavesco , cogitans rationem quam sum redditurus . Quâ enim mente illum sustinebo , cui defuscepto negotio animarum , lucrum nullum , aut penè nullum reporto ? Idem Gregorius , Epistolâ 37. quarti libri comparat Ecclesiam sine Episcopo , arenti altero (g) : Cùm autem is venit in Ecclesiam suam , est velut cùm fluvius revertitur ad arida saxa , qui juxta positas valles rigat , ut fructum ferant , aliud quidem trigesimum , aliud sexagesimum , & aliud centesimum ; & per fluenta linguae erumpant flores usque ad fructus maturos . Quòd si dicat Episcopus , prædicationi insto , sed fructum non video , recolat pulcherrima illa Bernard. verba ad Eugenium , sic dicens (h) : Fac quod tuum est : nam Deus quod suum est satis absque tuâ sollicitudine & anxietate curabit , planta , riga , fer cum , & tuas explicuisti partes : sanè incrementum Deus quando voluerit , dabit ;

(g) Ad Episc. Antioch. in princ.

(h) Bernard.

Deus, inquam, non tu: quod si forte noluerit, tibi deperit nihil. Communica coeleste triticum sine invidiâ & sine desidiâ, de solo tibi credito talento respondere tibi para. Si multum accepisti, multum da; si modicum, & id retribue: etenim qui in modico fidelis non est neque in maximo erit. Totum quod habes, da: quia totum repetendum est, usque ad ultimum quadrantem. In his duobus mandatis, verbū scilicet atque exempli, summam tui officii ad conscientiæ securitatem pendere, intellige. Tu tamen si sapis, junge & tertium, studium scilicet orationis. Manent itaque tria hæc, verbum, exemplum, oratio: major autem horum, est oratio; nam & si vocis virtus sit opus, operi tamen & voici gratiam, efficientiamque promeretur oratio.

Quām utile autem fit prædicandi studium ad impetrandam veniam proprietum peccatorum, habes à Gregor. sic dicente. Tantò celerius quisque ab omnibus suis peccatis absolvitur, quantò per ejus vitam, & linguam, aliorum animæ suorum peccatorum nexibus solvuntur. *Idem Gregorius:* Lingua Episcopi fomentum sit bonis, aculeus malis, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros ac desidēs exacuat, ac succedit; asperis blandiatur, desperatos confortetur.

Patientia, atque constantia Pastoris,  
in adversitatibus & persecutionibus  
tolerandis.

C A P U T V I I I .

**P**ONDERA, quæso, Episcope, Eze-  
chiel, 2. conditiones carnalis populi ad  
quem gubernandum ac pascendum, mit-  
teris: nam ut ibi habes, mitteris ad gentes  
apostatrices, ad duros facie, ad indomabi-  
les cordè, ad irritatores, ad subversores,  
ad incredulos, ad domum exasperantem:  
denique ad scorpiones. Ad te enim pertinet  
verbum illud Job. (a) : Frater fui draco-  
conum, & socius struthionum. Et ideo  
ad æquanimitatem & patientiam te para.  
*Unde August. super illud Psal. 101.* Quia  
defecerunt, sicut fumus dies mei, & ossa  
mea sicut in frixorio confixata sunt, dicit,  
quod mali sunt frixorium bonorum: tan-  
tum enim frigitur bonus, quantum amat:  
quoniam tantum dolet de multorum interitu,  
quantum salutem eorum diligit. Ad Præla-

---

(a) Cap. 30.

sum etiam jugiter gementem , quia videt  
se non ita fructum facere ( b ) applicat ibi  
Augustinus illud Psal. Miserere mei Domi-  
ne , quoniam tribulor , conturbatus est in  
irâ oculus meus , anima mea & venter  
meus. At , ut Gregor. inquit , ipsa malo-  
rum societas , magna purgatio bonorum est.  
Abel namque esse renuit , quem Chain  
malitia non exercet : ferrum quipe nostræ  
mentis ad acumen non potest pervenire  
veritatis , nisi hoc alterius eraferit lilia  
pravitatis. *Et super illud ( c )*: Sicut lilyum  
inter spinas , dicit glossa , bonus non fuit ,  
qui malos tolerare non potuit. Et ideò licet  
multa adversa nostris propositis , ac sanctis  
desideriis obstant , numquam tamen de-  
ponendus est animus , semper in medio tur-  
binum muniendus illâ dulcissimâ remissio-  
ne ( d ) : Quoniam in me speravit , libe-  
rabo eum , protegam eum quoniam cog-  
novit nomen meum. Clamabit ad me , &  
ego exaudiam eum : cum ipso sum in tri-  
bulatione , eripiam eum , & glorificabo  
eum. Nam , ut pulchrè dicit Gregorius ,  
& habetur 7. quæst. primâ ( e ) : Adversi-  
tas quæ bonis votis objicitur , probatio-

( a ) Psalm. 30.

( c ) Cant. 2.

( d ) Psalm. 99.

( e ) Epist. 126. ad Regem Visigoth. lib. 7. indic. 2.

Virtutis est, non indicum reprobationis. Nam Paulus prædicaturus veniebat in Italiā, & tamen veniens naufragium pertulit: sed tamen navis cordis in maris fluctibus integra stetit. Quomodo mente turbari aut animo frangi poterit Episcopus, quando à carnalibus maledicitur, si mente recogitaverit verbum illud Domini (f): Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete in illâ die & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis, si enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos, patres eorum, gaudete, inquit, in illâ die: est enim vere dies festus, qui tantam secum affert exultationis materiam. Considera etiam illud Sapien. 2. Dixerunt impii, circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, &c. Tibi usurpa quæso, Episcope, ardentissima illa Beati Ignatii verba: Quia frumentum Christi sum, bestiarum, id est, carnarium hominum, dentibus molar, ut panis mundus efficiar. Quid vis? Vis ne sine molesti & afflictione, in medio carnalium turbarum vivere? Cla-

mat Moyses (g) : Non possum sustinere  
hoc onus : occide me , ne tantis afficiar  
malis (h) : Hier. maledicit diei nativitatis  
suæ , propter onus officii. Paulus clamat:  
Quis infirmatur , & ego non infirmor ?  
Quis scandalizatur & ego non uror ? Et tu  
vis quiescere , ac sine molestiâ vivere in  
medio prævaricatorum , ardente mundo ,  
& igne carnis omnia devorante ? Igitur in  
medio malignantium & persequentium ,  
recordare verbi illius beati Ber. Ego , ait ,  
plagis conscientiæ meæ , nullum judicio  
accommodatus medicamentum , oppro-  
briis , & contumeliis. *Item dicit* , Legi ego  
apud quemdam sapientem. Non est vir for-  
tis , cui non crescit animus in ipsâ rerum  
difficultate. Ego autem dico , fidelis homi-  
ni magis inter flagella fidendum. Memento ,  
ait , Gregor. quia charitas patiens est. *Et Prover.* 12. *dicitur* (i) : Doctrina viri per  
patientiam noscitur , quia non potest con-  
stanter , & utiliter recta docere , qui non  
novit despectiones æquanimiter tolerare.  
Et regulariter impatientes fiunt arrogan-  
tes : quia dum non ferunt despici in hoc  
mundo , si qua bona occulta habent , of-

(g) Num. 11. Ep. 23.

(h) 2. Cor. XI.

(i) 1. Cor. XI.

endere conantur. Ideò scriptum est (*k*): Melior est patiens arrogante : quia magis vult despici , quam occulta bona sua manifestare. Insuper , ne multitudine superborum ac carnalium te contemnentium , nimiam tristitia opprimaris , consolentur te illa Spiritus sancti verba (*l*) : Recti diligunt te. Item illa (*m*) : Audiant mansueti & lætentur , videant pauperes , & lætentur. Item (*n*) : Innocentes , & recti adhæserunt mihi : quia sustinui te. Videbunt recti & lætabuntur , & omnis iniquitas oppilabit os suum. Sicut ergo ex misericordia Domini , non desunt ibi boni ad solatium , ita nec deerunt plurimi perversi , ad patientiae & humilitatis exercitium. *Benedicit Augustinus* (*o*) : Malus ideò vivit , ut vel corrigatur , vel ut per eum bonus exerceatur. *Et Gregorius inquit* , non est grande iis esse humiles , à quibus honoramur , quia hoc etiam sæculares quilibet faciunt , sed illis maximè humiles esse debemus , à quibus aliqua patimur. David namque dicit (*p*) : Vide humilitatem meam de inimicis meis. Quod si nimitum turbaris , quia vexant te inqui opprobriis ac maledictis , signum

(*k*) Prover. 16.(*m*) Psalm. 44.(*o*) Epist. 24. lib. 2.(*l*) Psalm. 33.(*n*) Psalm. 106.(*p*) Psalm. 94.

est, quod nondum habes cor fixum in cælo. Unde Gregorius in quâdam epistolâ : Miror, inquit, quod vos qui cor fixistis in cælo, verba hominum agitant in terrâ. *Et Bernardus ad alium scribens* : Fluctuas, inquit, inter prospera & adversa, quia non statuisti pedes tuos super petram.

Greg. ad Januarium Episcopum, sic dicit (q) : Perlatum est ad nos, quod Isidorum virum clarissimum excommunicâsti, & anathematizâsti, non ob aliam causam, nisi pro eo quod te injuriâ affecerat : quæres nos vehementer afflixit : quod si ita est, nihil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam conversationem te habere significans, dum pro vindictâ propriæ injuriæ, quod sacrâ regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti ; tamen de cætero omnino esto circumspectus atque sollicitus, & talia cuique pro defensione propriæ injuriæ inferre denuò non præfumas aliâs, &c.

*Et ibi ad Nazalem (r)* : Episcopo qui scripserat ei se non posse legere, quia multis tribulationibus pressus erat, respondet, quod nulla est excusatio, imo quanto magis gravatur pondere tribulationum,

tantò magis debet lectioni sacræ vacare ; quia scriptum est (*f*) : Per patientiam & consolationem scripturarum , spem habeamus. Et ibi (*t*) : Si vitæ hujus cursum veraciter attendamus nihil in eo firmum, nihil invenimus stabile , sed quemadmodùm viator modò per plana , modò per aspera graditur , sic nobis in hâc vitâ manentibus , nunc prosperitas , nunc occurrit adversitas : ideo totâ mente ad illum anhelandum est ubi quidquid est , firmum permanet , ubi non mutatur adversitate prosperitas. Igitur nos ipsi humiliati discamus flere delicta nostra , & exaltati , adversitatis memoriam quasi humilitatis anchoram , teneamus. Item (*u*) : Quia omnipotenti Deo incessanter quotidiè delinquo , aliquid mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor , si incessantibus quotidiè plagis ferrior. Et credo quòd eundem Dominum tantò vobis amplius placatis , quanto me ei male servientem amplius affligitis. Scribit etiam ad Mauritium Cæsarem , & enumerans magnas tribulationes quas patiebatur , subjungit. Et quidem de me ipso ; in nullo turbatus sum , quia teste consciens

(*f*) Rom. 15.(*u*) Idem. Epi. 31.(*t*) Idem. ca. 90.

tiā, fateor, adversa quælibet pati paratus sum , dummodò hæc omnia cūm salute duntaxat animæ meæ evadam.

*Et ibidem (x) :* Episcopi mei , inquit, me despiciunt , & contra me , ac mandata mea , refugium ad sacerdotes judices habent. In quo ego omnipotenti Deo gratias ago , & peccatis meis deputo. *Et ad quemdam Episcopum (y) :* Exorate , inquit, Dominum , ut citius me salvet à peccatorum meorum nexibus , & pondere corruptionis corporis hujus. Quamvis enim inæstimabilis sit cælestis patriæ dulcedo quæ trahat , multi tamen in hâc vitâ dolores sunt , qui ad amorem cælestium quotidiè impellunt , quoniam dolores in hoc ipso solum vehementer placent , quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt. Quot autem , & quantas calamitates pertulerit Gregor. suo tempore , considera ex hâc Epistolâ , & tribus præcedentibus. A vingt & septem annis , ait , vivimus inter gladios Longobardorum , & nonnisi datus Júgiter multis pecuniis , nos vivere sinunt. Cuncta in Europæ partibus juri Barbarorum sunt tradita : destructæ urbes , eversa

(x) Gregor. Constantiæ augustæ Epist. 34. lib. 4.  
Indic. 13.

(y) Idem. Ep. 35. Epis. Serin.

castra .

castra , depopulatæ Provinciæ , nullus terræ cultor inhabitat , &c. *Et uno ac eodem tempore ait* : Mihi incumbit , omnium Episcoporum , ac clericorum , monasteriorum , pauperum , & populi curam gere : ac contra insidias hostium sollicitè vigilare , & contra ducum malitias ac fallacias suspectum semper existere. Nam benigniores videntur nobis hostes nostri , qui nos interimunt , quām nostræ Reipublicæ judices , qui nos malitiâ suâ , rapinis , atque fallaciis , in cogitatione consumunt. Pensæ , ait , cuius laboris & doloris sunt hæc. *Tandem in fine Epistolæ 35. afferit* (z) : Me infelicem vehementer deputavi , qui hoc tali tempore regimen Ecclesiæ suscipere consensi. *Et ad Anastasium Episcopum* , scio quām grave sic experto culmina internæ quietis , negotia externa tolerare : sed tempera dolorem tuum , sciens quia omnibus omnia factus es. Ad te pertinet , utrāque manu pro dexterâ uti , vertendo sinistram in usum dexteræ , id est , pertrahendo terrena opera ad cælestem utilitatem. Dùm enim cura temporalium ad utilitatem iustitiæ dicitur , ad fortitudinem dexteræ permutatur sinistra. Et quidem sine gravi

(z) Idem. Ep. 37. lib. 4. indic. 13.

abore & tædio esse non possum , sed recordemur laborum patrum nostrorum , & dura non erunt quæ toleramus. Per multas enim tribulationes , oportet nos introire in regnum Dei. *Et Apostolus dicit (a) :* Suprà modum gravati sumus , suprà virtutem , ita ut tæderet nos etiam vivere. Quomodo igitur sine labore transire possumus æstum hujus fæculi , infirmæ nos oves , in quo graviter sudâsse novimus & arietes? Quantas ego tribulationes in hâc terrâ patior de Longobardorum gladiis , de iniquitatibus nostrorum judicum , de insolentiâ & importunitate causarum , de curâ subjectorum , de molestiâ corporis mei , explicare nec calamo , nec linguâ sufficio. *Hæc ille.* Et excusans se , quia non respondet ad omnia : Tantis , ait , tribulationibus circumfusus premor , ut non dico multa tracitare , sed mibi respirare vix liceat.

*Et alibi (b)* Innumeræ amaritudines patior : Deo gratias ago , quia minùs valdè affligor , quam mereor. Fige animo verba Sapientiæ 3. (c) Et si coram hominibus tormenta passi sunt , spes electorum immortalitate plena est ; in paucis vexati , in mul-

(a) 2. Cor. I.

(b) Idem. Ep. 38. Episc. Constantin. ut suprà.

(c) Idem. Epi. 40.

tis benè disponentur. *Et ad Columbum Episcopum (d)*, qui ei scripserat quod patiebatur multorum inimicities, respondet: Dubium non est, frater, bonos prævorum odia sustinere, divinisque intentos operibus, perversorum adversitatibus lacerari. *Et ibi (e)*: Minus piè vivis, si minus persecutionem pertuleris. *Et Apostolus (f)*: Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos: quia non inanis fuit, sed ante passi multa, & contumeliis affecti, &c. Et Apostolus ingressum suum vacuum fuisse dixisset, si contumelias non pertulisset? Sicut enim, ait, semina messium gelu cooperta fertilius germinant, sic charitas dum inter adversa astringitur ad augmentum divini amoris ac bonæ operationis, a surgit. Scio quod ex tot malarum linguarum sermonibus perversis, tempestatem validam pateris, & in mente contradictionum fluctus sustines. Sed memento quod scriptum est (g): Exaudiv te in abscondito tempestatis; probavi te apud aquas contradictionis. Si enim inter contradicentes in his quæ sunt Dei perfistis, tunc verus ope-

(d) Idem. Epi. 2. lib. 6.

(e) Idem. Gr. Narsæ relig. Epist. 27. lib. indic. 15.

(f) 1. The. 2.

(g) Psal. 80, Greg. lib. 7. reg. ind. 1. Epist. 3. Epis.

rator probaris. *Et in alia*: Memento quod  
suis dixit Dominus (*h*): Plorabitis & fle-  
bitis vos, mundus autem gaudebit. *Et ite-  
rūm* (*i*): In mundo pressuram habebitis,  
&c. *Et filiis saeculi* (*k*): Hæc est, ait, ho-  
ra vestra, & potestas tenebrarum. *Idem* (*l*):  
Christianum animum adversitas non deji-  
cit, sed accedit; promptior est in duris,  
fortior in adversis, audaciorque in omni-  
bus se exhibet vigor sacerdotalis, quia cum  
Ecclesiâ super petram Christi fundatus est,  
quem nulla impulsio convellat. *Et in alia*:  
Uvæ, inquit, & olivæ in torculari pre-  
muntur, ut vinum & oleum ab eis expri-  
matur; spicæ quoque prius excutiuntur &  
triturantur, ut purum nobis frumentum  
exhibeant: ita ergo viri sancti triturari &  
premi variis laboribus debent, ut virtus  
eorum magis emineat.

*Idem* (*m*), Tantis podagræ doloribus,  
tantisque curarum tumultibus premor, ut  
quamvis numquam me aliquid fuisse remi-  
niscar, valde tamen me videam non esse  
qui fuerim. *Idem* (*n*): Ecce jam undecim  
menses sunt, quod valde rarum est, si de-

(*h*) Antioch. Joan. 16.

(*i*) Luc. 22.

(*k*) Epist. 25. Episc.

(*l*) Jaterdino ut supra.

(*m*) Epist. 25, lib. 7.

(*n*) Greg. 1, 7, Epist. 127., Italiae patriciæ, indic. 2.

Tom. 2.

lecto surgere aliquandò possum; tantis enim podagræ, tantisque molestiarum doloribus premor, ut vita mea mihi gravissima pœna sit: quotidiè enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando, suspiro. *Idem (o)*: Corpus meum tanquam in sepulturâ, ita siccatum est podagrâ, & assiduâ animi exacerbatione.

*Idem (p)*: Quidam Trajanus Episcopus missus ad incognitum locum, petuit à quodam Abbe sibi dari quatuor aut quinque monachos ad solatium, quos jussit dari Greg. rationemque intulit, quia pergens is ad locum incognitum, si proprios, quorum consolatione utatur, non habeat, mens affecta tristitia, minus se ad ea quæ utilitatis sunt, erigit, & ante incipit succumbere, quam laborare. *Idem (q)*: Sunt penè duo anni, quod lectulo teneor, & tantis podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis, usque ad trium horarum spatum surgere valeam, Missarum solemnia celebraturus. Mox autem compellor cum gravi dolore decumbere. Quotidiè in

(o) Epist. 35. l. 8. Patriar. Alexand. ind. 3. & Ep. 38. li. 9.

(p) Rusticianæ Patricio. ind. 4.

(q) Idem, Epi. 1. li. 8. Romano desen. ind. 3. li. 8. ind. 3. Epist. 35. prin. Patriar. Alexan. To. 2. Episc. Sal.

morte sum , & quotidiè repellor à morte ;  
 quia peccator gravis , talis corruptionis  
 carcere diù teneor inclusus , & compellor  
 clamare : Educ de carcere animam meam.  
*Idem (r) :* Hoc certissimè scito , quia pla-  
 cere Deo & pravis hominibus nullus po-  
 test. In tanto ergò se existimet fraternitas  
 tua Deo placuisse , quantò se perversis ho-  
 minibus displicuisse cognoverit. Humani  
 autem terrores & favores , sunt similes fu-  
 mo , qui levi aurâ raptus , mox evanescit.  
 Baptista laudatur , quia non erat arundo  
 vento agitata , non humiliabatur vitupe-  
 riis , non erigebatur laudibus.

Memento (f) , dicit August. quòd tri-  
 bula Dei incedit super triticum , & super  
 paleam ; & sub eâdem tribulâ comminui-  
 tur palea , & triticum purgatur , & manet  
 integrum ; sic tribulatio super bonos & ma-  
 los ; & quidem malus homo est virga Dei  
 ad flagellandum bonum. Sicut , inquit , ali-  
 quando iratus pater apprehendit virgam ,  
 & cædit eâ filium , cui tamen servat hæ-  
 reditatem , ac deindè projicit eam in ig-  
 nem ; sic Deus per malos damnandos ,  
 exercet disciplinam honorum liberando-  
 rum.

---

(r) Epist. 36. immed. ut sup. (f) Aug. Psal. 73.

Julianus Pelagianus (*t*) scribens contra libros Augustini, multa convitia in eum evomit: cui respondens August. in principio libri dicit. Non putes, Juliane, quod ego contemno contumelias tuas: non possum contemnere ea quae sunt mihi materia gaudii & tristitiae: gaudii quidem, quia scriptum est (*u*): Beati estis cum dixerint omne malum adversum vos, &c. & tristitiae, propter phrenesim tuam: juxta illud Apostoli (*x*): Quis scandalizatur, & ego non uror? Unde patet, quod debeamus dolere, quando aliqui detrahunt nobis, propter eorum videlicet damnum. Dicit etiam August. (*y*) Faciat aliquis aliquid mali: objurget Episcopus (*z*): Malus est, inquiunt, Episcopus: non objurget Episcopus, bonus est. Et cum Episcopus est constans arguendo & suadendo, mox per suspiciones querunt crimina adversus eum, & dicunt: Hic non facit ea quae dicit. Et frequenter etiam imponunt ei quae non facit; ea verò quae benè facit, male fieri dicunt, & peccata quae tolerat, virtus ei vertunt. Dicat ergo bonus Episcopus (*a*): Sæpè expugnaverunt me, &c.

(*t*) Idem.(*x*) 2. Cor. XI.(*z*) Psal. 128.(*u*) Matth. 5.(*y*) Idem.(*a*) Psal. 128.

tamen non potuerunt mihi, id est, non prævaluerunt contra me, ut præbeam consensum peccatis eorum: quid ergò fecerunt mihi? Supra dorsum meum, &c. O quām præclarè dictum est: Non possimus peccatores trahere ad bona: nec ipsi nos possunt trahere ad sua mala: quid restat? Nimium, ut toleremus eos. Dicat ergò Episcopus: Ascende super dorsum meum, tolerare te habeo, quo usque veniat finis: sic mihi præceptum est, ut fructum afferam in patientiâ. Non ergò te corrigo (*b*): sed tolero te, aut fortè cùm te tolero, corrigis té: si tamen non corrigis te usque in finem, tolero te usque in finem. Numquid semper super dorsum meum eris? Veniet qui te indè excutiat, quandò scilicet hinc decesserimus, triticum ibit in horreum, palea in ignem. Impugnaverunt ergò me: tamen non oppresserunt. O securitas, inquit idem, in tribulatione (*c*)! Fortior fuit Job in sterquilinio contra suam Evam, quām Adam in Paradiso contra suam.

Nihil ità probat virum spiritualem, quām peccati alieni tolerantia, quoniam spirituālis potius liberationem ejus, quām subsanationem; potius auxilia, quām convitia

(*b*) Lué. 8.

(*c*) Job. 2.

meditatur. Ideò dicit Apostolus (*d*): Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c. Alter alterius onera portate, id est, difficiles mores & peccata. Nam qui vivit inter benè moratos viros, non portat, sed portatur. Igitur tolerantia infirmorum, & conversatio malorum, id magna pars crucis. *Item (e)*: *idem August.* Impii metientes nosmetipſos ex ſemetipſis, dicunt de nobis, ſcilicet Episcopis, quòd quærimus in Ecclesiâ honores, laudes, & utilitates temporales. Quàm multi dicunt de me, propterea me prædicare vobis, ut acclametis & laudetis me; & hunc me habere finem, & hanc intentionem: cùm loquor. At quomodo potero eis ostendere intentionem meam? Quomodo illi ſcient quod vix ego ſcio? Nec enim ego me ipſum judico, &c. Ergò piè, purèque clamemus ad Dominum: (*f*) Tu cognovisti ſemitas meas. Vis ut Dominus ducat te per ſemitas ſuas? Esto mitis, esto mansuetus, non ferox, non superbus, non excufſâ & erectâ cervice, quia scriptum eſt (*g*): Diriget mansuetos in iudicio, &c. *Idem (h)*: Nonne pater

(*d*) Gala. 6.(*e*) Idem. Psal. 141,(*f*) Psalm. 141.(*g*) Psalm. 34.(*h*) Idem. Psalm. 32.

cum blanditur, & cum flagellat, haereditatem parat? Dic mihi, tu fateris te esse membrum Christi: si sic, quare non vis sustinere illam portionem passionum & pressurarum quae tibi deputata est? Nam, ut dicit idem August. (i) Si non oporteret unumquodque membrum Christi exolvere, quasi canonem passionum in toto processu mundi, non diceret Apostolus (k): Adimpleo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea.

*Item, ibidem:* Aurum non lucet quamdiu est in fornace aurificis, in molini lucebit, in ornamento lucebit. Patiatur tamen fornacem, ut purgatum facibus veniat ad lucem. Palea in fornace ardet, aurum purgatur; illa in cineres vertitur, hoc cordibus purgatur: fornax, mundus: ignis, tribulatio: aurifex, Deus. *Et August. contra secundam Epistolam Gaudentii expoenens illud (l):* Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur, dicit, quod persecutio est, non solum quando adversitas affigit, sed etiam quando prosperitas seducit, ut homo elatione evanescat. *Item (m):* Persequitur

(i) Idem. Psalm. 61,

(k) Colo. I.

(l) Idem, li. 2.

(m) 2. Tim. V,

pios, non solum qui eorum corpora cruciat, sed multo magis qui corda, juxta illud (*n*): Vidi prævaricantes, & tabescetam. Magna ergo persecutio est piis, & continua, videre aliena peccata. Sicut Absalon multo amplius persecutus est cor paternum, in impietate moriendo, quam vivens, contra eum bellum gerendo; quem admodum & Sodomitæ suis moribus cruciabant Loth. Unde & David pater optimus, filium quem non desperando, non defleverat vivum, spe finitam, flevit occisum. Hæc ergo persecutio numquam deest piis, scilicet dolere malitiam impie viventium, & perditionem morientium.

Quam utiles sint tribulationes egregie probat Chrysost. super Psal. (*o*) Ad te levavi oculos meos: Hunc enim, ait, dilexerunt Judæi constituti in captivitate Babylonica, qui tamen in patriâ suâ obliviscabantur Dei, confidentes in auxilio Ægyptiorum, & idolorum suorum.

*Et dicit idem (p): Non quæras vitam ab omnibus negotiis, periculis & afflictionibus semotam, sed quære non involvi, ac deprimi à talibus negotiis & periculis: nam*

(*n*) Psal. 118.

(*o*) Chrysost. Psal. 122.

(*p*) Idem, Psal. 124.

in portu quiescens homo , redditur ignavus , mollis & enervatus : At , qui undosum mare transmittit , & multas rupes marinæ , multos scopulos , & ventorum impetus sustinuit , hic animum robustiorem fecit.

Pulchris exemplis ostendit (q) Chrysost. utilitatem tribulationum . Sicut enim , ait , agricola scindit comas vitium , & aliarum arborum , ne nimis luxurientur , ut humores & vires in radices omnino convertantur , ne in foliis consumptæ , producant fructus inanes & inutiles : sic oportet abscondi prosperitates temporales , ut homines convertantur in radices , id est , totas cogitationes ponant in internis & externis bonis , & non superfluant in folia , hoc est in vana , inutilia , & infructuosa , sed producant perfectum fructum pietatis . Sic aqua quæ quiescit , est noxia ; quæ autem agitatur , vexatur , currit , est salubris . Vide totum Psalmum , quia pulcherrimè ibi exhortatur ad tolerantiam tribulationum .

*Item* , quandò Apostolus dicit ad Philippenses . 4. quod pax Christi exuperat omnem sensum , intelligit , quod carnales non possunt capere , quomodo sit possibile ,

quod homo in magnis tribulationibus constitutus, possit servare pacem cordis, id est, quietem, & habere gaudium in eis: hoc non percipiunt nisi experti. Assequuntur vero hanc pacem, quando in tempore tribulationis constituti, ex corde justificant Deum, & seipso damnant, sicut illi tres pueri qui dicebant (*r*): *Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio*, sicut est dies haec. *Et David*: *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis, &c.* Et si insurgant tentationes diffidentiae, præsertim de salute æternâ, tunc magis insistendum in eadem consideratione divinæ justificationis, certissimè credendo quod Deus tecum aget quod justissimum & æquissimum fuerit, sive perdat, sive salvet, quamvis hoc ipse non videas. Et hoc est benedicere Dominum in omni tempore.

*Et ipse Chrysost. horribiliter loquitur de oneribus Episcopalis officii (*f*): Vocat enim ipsum, pelagus laborum, & abyssum ærumnarum. Et loquitur de pavoribus & consternatione animi quam passus est, cum audivit se promovendum.*

Bernardus consolans quemdam Abbatem

(*r*) Daniel. 3.    (*f*) Chrys. li. 3. & 6. de Sacra.

in tribulatione constitutum, dicit (*t*): Quòd sicut in electis tribulatio operatur patientiam, &c. ut dicit Apostolus, (*u*) ità è converso in reprobis & damnandis, tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem. Igitur non vincaris à malo, sed spem tuam fortiter in Deo fige, & rei finem longanimiter expecta. Ibi jurat in hanc formam. O quàm sincerè tibi consulerem, si scirem! Quàm juvarem, si possem: ità mihi in tribulationibus meis subveniat is qui omnia scit, & omnia potest.

*Et alibi (x):* O verè leve onus Christi, quod portantem non gravat, sed levat! Quid eo levius onere, quod non solùm non onerat, sed & portat omnem cui portandum imponitur? est onus exonerans, sicut pennæ avium, quæ ferunt à quibus feruntur. Nam esto, appositis pennis, onus crescat, tamen sarcina est levior. Idem de quadrigâ intelligendum est. Sic enim oneri gravissimo legis, accedens quadriga Evangelii, & auxit perfectionem, & difficultatem minuit.

Bernardus præfecerat Ramaldum in Ab-

(*t*) Bern. Epi. 32.

(*u*) Rom. 5.

(*x*) Epi. 72, ad Abba. Asniacem,

batem cuiusdam Monasterii, ubi erant Monachi inquieti, ideo sæpe is ad Bernard. scribebat, plangens dolores & labores suos (*y*): Rescribit verò ei Bernardus, & inter alia monet eum ne omnia mala quæ ferebat, ei significet, ne adderet tristitiam super tristitiam. Et quia ille ita fecerat, Bernar. non ferens ignorare quæ circa illum agebantur, scripsit ei rursùs Epist. 74. omnino obtestans eum, ut omnia ei mala nuntiaret, quia in majore tristitiâ & timore vivebat, posteaquam cessasset scribere, quia semper timebat graviora pericula veris; charitas enim non sinebat eum esse sui juris: Charitas, inquit, cùm semel affecerit mentem sui juris esse non finit, metuit quod nescit, dolet quod non oportet, sollicitatur plus quam vult, compatitur nolens, miseretur invita.

Virtus, ait idem, in pace acquiritur, in pressurâ probatur, in victoriâ approbatur.


*Item* (*z*): Si tristitiae semper acciderent, quis sustineret? Si semper prospera, (*a*) quis non contemneret? Divina igitur sapientia sic pio moderamine hæc alternavit electis, ut nec adversa frangant, nec

(*y*) Bern. Ep. 73. ad eundem.

(*z*) Idem, Epist. 126. ad Epif. Aquitanum.

(*a*) Idem, Epist. 136. ad Episc. Pap.

læta dissolvant; cùm potius illa ex istis gratiora, & illa ex iis tolerabiliora sint; accipiunt enim vulnera nostra post vinum oleum.



*Zelus justitiae, fortitudo, ac magnanimitas contra peccata.*

### C A P U T I X.

**L**OQUERE, inquit Paulus, (*a*) & exhortare, & argue cum omni imperio, nemo te contemnat. De hoc differit Gregor. in Past. cap. 15. ubi inter cætera sic dicit (*b*): Sæpè Prælati improvidi, humanam gratiam amittere formidantes, loqui liberè recta pertimescunt; in hoc jam non Pastores, sed mercenarii, quia lupo oves vorante, ipsi silent, assimilati canibus mutis non valentibus latrare, quibus ab increpatione debitâ silentibus dicitur (*c*). Non ascendistis ex adverso, nec opposuitis vos murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini. Assimilantur

(*a*) Ad Tit. II,

(*c*) Ezech. I,

(*b*) Isa. LVI,

enim terga vertentibus, hi qui ex zelo justitiæ resistere peccatoribus non curant; & ibi latè suadet quòd hoc peragat, non fluxâ loquacitate, quæ potius turbat peccatorem, quam curet, sed verbis, gravitate, & sapientiâ plenis. Undè Consecrator Episcopi dicit ei: Accipe baculum pastoralis officii, ut in corrigendis vitiis piè sœvias, judicium sine irâ teneas, &c. Undè de officio ordinarii ex Concilio habentur hæc verba (*d*): Irrefragabili constitutione sancimus, ut Ecclesiarum Prælati, ad corrigendum subditorum excessus, maximè Clericorum, & reformandos mores, prudenter ac diligenter intendant ne sanguis eorum de eorum manibus requiratur, ut possint dicere quod Paulus Ephesiis (*e*): Mundæ sunt manus meæ à sanguine omnium vestrum. Nam error cui non resistitur, approbatur; & facilitas veniæ incitatum tribuit delinquendi. Qui vitiis, ait Aug. (*f*) nutriendis parcit, ne contristet peccantium voluntatem, tam est misericors, sicut ille qui non vult rapere puerο cultrum, ne audiat plorantem, & non timet, ne vel vulneratum doleat, vel ex-

(*d*) Cap. irrefragabili

(*e*) Act. 20. distin. 83. 23. q. 4. est iusta. Et. 23. q. 8.

(*f*) Psalm. 34.

tinctum. *Et dicit idem Aug.* Lethargici excitantur, phrenetici ligantur, tamen utriusque amantur. *Et in quādam Epist. sic dicit,* pia tristitia ac beata miseria est, vitiis alienis tribulari, non implicari; mōerere, non dolere; dolore contrahi, non amore trahi; mentibus namque sanorum amicorum, fletum commovet risus phreneticorum. Igitur, ô Pastor, pete à Domino, ut de te aliquando dicere possis quod de seipso dicit Propheta Micheas (*g*): Repletus, inquit, sum fortitudine spiritū Domini, iudicio & virtute, ut annuntiem Jacob scelus suum, & Israël peccatum suum. Qualis erat Chrysostomus, in cuius vitâ habes, quòd cùm Clericorum vitia exemplo, verbis, legitimisque poenitentiis audacter infectetur, magnam in se ipsorum concitatavit invidiam. Tandem multis calamitatibus, multifisque laboribus propter Ecclesiam, & morum correctionem exhaustis, vitam finivit. De hujusmodi Pastoribus dicit Dominus, *Matth.* 10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Igitur, ô pusillanimis (*h*), noli fieri iudex, nisi valeas virtute dirumpere iniqui-

(*g*) Mich. 30.(*h*) Ecclæs. VII.

tates, ne fortè extimescas faciem potentis; alioquin non Episcopus, sed canis impudens reputandus es, ut habetur distinct. 83.

Gregorius in Pasto. de correptione vitiorum, ità ait (*i*): Vitia quædam sunt prudenter dissimulanda, quia eo ipso quòd dissimulantur, judicantur, videlicet, quando delinquens deprehendit culpas suas cognosci à rectore, & perpeti, eo ipso erubescit culpas augere, quia tacitè considerat Pastoris erga se patientiam, tolerantiam & clementiam, & hanc Dominus exprobabat peccatri Judææ, dicens (*k*): Non cogitâsti in corde tuo, quia ego tacens, & quasi non videns. Quædam autem etiam apertè cognita, mature toleranda sunt; cùm videlicet nondùm opportunum tempus advenit, ut apertè corrigantur: namfecta immaturè vulnera, deterius ferveſcunt, & nisi cum tempore medicamenta conveniant, constat proculdubio quòd medendi officium amittant. Sed cùm tempus subditis ad correptionem quæritur, sub ipso culparum pondere, patientia præfulis exercetur. Ideò scriptum est (*l*): Suprà dorsum meum fabricaverunt peccatores,

(*i*) 2. p. c. 10.

(*k*) Isa. 57.

(*l*) Psal. 128.

id est, quos corrigere nequeo, quasi superimpositum dorso onus porto. Quædam sunt occulta vitia subtiliter perscrutanda, ut aliquibus signis erumpentibus, rector in subditorum mente omne quod clausum latet, inveniat, & interveniente correptionis articulo, ex minimis majora cognoscat, quod fit diligenti inquisitione, vel maturâ correptione. Quædam vitia sunt leniter arguenda, ut quando quis peccat **ex ignorantia**, vel **ex infirmitate**: *undē Apost.* Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi corripite, &c. Quædam autem sunt vehementer increpanda, ut quando quis ex se non agnoscit quanti sit ponderis culpa sua, ex ore increpantis hoc sentiat, debetque cum magnâ zeli asperitate accendi contra obstinatos, & crimina sua alleviantes: ne si minùs contra culpas accendantur, culparum omnium reus ipse teneatur. Cùm enim nihil acriùs rectoris mentem frangat & excruciet, quam zelus Dei, dicente Apost. (m) *Quis scandalizatur, & ego non uror?* sit ut in verba aspera contra vitia prorumpat, & quia tunc sàpè exceditur in verbis, petenda est venia ab omnium Domino.

---

(m) 1. Cor. XI.

In 3. parte (*n*), describit idem varios modos arguendi, & admonendi, juxta variam delinquentium conditionem: Juvenes enim peccantes plerūmque sunt increpandi; senes verò blando sermone attrahendi, juxta illud (*o*): Seniorem ne increpaveris, &c. Item potentes sacerduli sunt artificiose arguendi, ne se erigant contra corripiensem, sicut fecit Nathameum David: (*p*): Sapientes verò delinquentes; sunt efficacibus rationibus superandi, inverecundi sunt duris increpationibus compescendi; verecundos autem, modesta exhortatio melius componit. In illos ergò directè invehendum, hos quasi ex latere tangere sufficit. Protervi qui non cognoscunt mala sua, & exaltant bona sua, apertis rationibus confundantur. Pusillanimes autem, qui nimis cognoscunt infirmitatem suam, & valde despiciunt bona sua, laudandi imprimis sunt de benè gestis, & leniter reprehendendi. Astuti & duplices, artificiose sunt disquirendi; hi enim cùm sint quasi deprehensi in crimen, tantum acutis & apparentibus defensionibus se palliant, more hæreticorum, qui cùm deprehendun-

(*n*) Gregor.(*o*) 1. Tim. IV.(*p*) 2. Reg. XII.

tur, variis modis elabuntur. Illi autem qui sic iniquitatibus duruerunt, quod nec per flagella corriguntur, tanto acriori invectione feriendi sunt, quanto majori insensibilitate obduruerunt; plerumque enim, ait Greg. sine dedignatione dignandi sunt, & sine desperatione desperandi: ita duntaxat, ut offensa desperatio formidinem incutiat, & subiuncta admonitio ad spem reducat. Contra hos ergo dura verba scripturarum adducenda sunt, ut illud (*q*): Si contuderis stultum in pilâ quasi ptifanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus. *Item* (*r*): Attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Addit tamen, quod etiam aliquando illi qui per flagella & dura verba non corriguntur, quia quedam vulnera quae curari incisione nequeunt, fomentis sanantur, & adamas, qui incisionem ferri non recipit, hirci sanguine mollescit. *Hæc.* Greg. Perturbati & in furore iracundiæ constituti, non sunt directè, & apertâ increpatione arguendi, sed potius declinandi, ut ad se reducti, tanto libenter exhortationis verba recipient, quanto se tranquilliùs toleratos erubescunt, quia menti furore ebriæ

omne rectum quod dicitur, perversum videtur. Aliquando tamen in ipso fervore, non directe, sed quasi aversâ hastâ, sunt tranquillè feriendi, ac prudenter acutis ac lenibus verbis tangendi.

Elati utiliter corripiuntur (*s*), si eorum correptionibus, quædam laudum fomenta misceamus; prius enim laudando bona quæ in eis sunt, fit placabilis eorum mens, ad refecanda mala quæ in eis sunt, sicut equos indomitos primitus blandâ manu tangimus, ut eos nobis pleniùs postmodum, etiam per flagella, subigamus. Similiter conductit ad persuadendum elatis, si eorum emendationem, vel meliorationem nobis, magis illis profuturam dicamus, & eam magis nobis, quam sibi impendi postulamus; facile enim ad bonum elatio flectitur, si & aliis ejus inflexio prodeesse credatur.

Greg. (*t*) pluribus admonitionibus utebatur contra delinquentes Prælatos. Unde Episcopum Salonitanum negligentem epulonem, qui quemdam Archidiaconum injustè expulerat, sic alloquitur. Fraternitas tua, post frequentatam toties admonitionem, à culpæ suæ errore resipiscat, quod si fortè facere distuleris, usum tibi pallii,

(*s*). Idem. (*t*) Idem. Epi. 14. li. 2. indic. tom. 5.  
1000

qui ab hâc sede concessus est, noveris esse sublatum; si verò amisso pallio, in eâdem pertinaciâ persistis, participatione Corporis & Sanguinis Domini, te toveris esse privatum. Et comminatur post diligentem **inquisitionem**, amotionem ab Episcopatu, ac tandem in fine concludit. Nos nullum pro personali amore defendimus, sed aucto-  
re Deo, normam justitiae, postpositâ cu-  
juslibet personæ acceptance, custodimus.  
Ad Episcopum pertinet, levia delicta in  
aliis, præsertim nobilibus, tolerare. Undè  
**Gregorius**, quia quidam Patricius de ani-  
mositate accusabatur, respondet (*u*): Quan-  
tum eum nos loco & ordine preimus, tan-  
tò, si qua sunt ejus levia, tolerare ma-  
turè & graviter debemus. *Ibi etiam nota  
verba prudentiæ plena* (*x*): Si ea, inquit,  
quibus Deus vehementer offenditur, in-  
sequi, vel ulcisci differimus, ad irascen-  
dum utique divinitatis patientiam provo-  
camus. Multa enim mala ad nos de qui-  
busdam in civitate Parno pervenerunt,  
quæ quoniam majorem correctionem ex-  
pectant, nec temerè credenda, nec desi-  
diosè quærenda sunt.

(*u*) Idem, li. 2. Epi. 32. Epif. Raven. indic. 10.(*x*) Idem, Epi. 16.

Jubet etiam provideri de alimentis Agathoni (*y*), ab Episcopatu ob delicta dejecto. Item arguit Ravennatem Episcopum, quia per plateas pallio utebatur in Iytaniis, cùm non nisi in Missarum solemniis illo uti liceat, undè ait: Decorari pallio volumus, forsan moribus indecori, dùm nihil in Episcopali cervice splendidiùs fulget, quàm humilitas. Idem etiam docens Episcopum Mediolanensem, quomodo se debeat habere in punitione vitiorum. Vitia, ait, maturis objurgationibus increpate, ut ipsa quoque sacerdotalis indignatio, virtute dulcedinis sit admista: quatenùs & tunc à subjectis amari debeat, etiam cùm graviter timetur. Hoc enim facit ut in reverentiâ habeatur Pastor: quia sicut præceps furor usitatusque despicitur, ità contra culpas discreta indignatio plerumque quò tarda fuerit, eò amplius sit timenda.

*Et ibi ad Episcopos [z]: Oportet vos, divini respectu judicii, clausis carnalibus oculis, nullius hominis faciem rectitudini justitiæ præponere. Confido enim in omnipotente Domino [a], quia, quod*

(*y*) Idem li. 2. ind. 11. Ep. 53. Ep. Syracusan.

[z] Epist. 16. l. 3. indi. 12. in prin.

[a] Epi. 39. li. 4. indi. 13.

ad intentionem meam attinet, numquam  
sino fieri, quod meam possit gravare ani-  
mam. *Item* adhortans Diaconum Constan-  
tinopolitanum ut se opponeret contra suum  
Episcopum, qui sibi nomen universalis  
usurpaverat. Numquam, ait, in hoc con-  
sentias, in nullo trepides, quidquid agen-  
dum in hâc causâ est, cum summâ aucto-  
ritate age.

*Idem [b]* : Ego ex Domini largitate  
hoc habeo, quòd cùm quorumdam ho-  
minum superbis actibus contradico, chari-  
tatis intimæ custodiam numquam relinquo:  
sed sic ea quæ sunt justitiæ foris exequor,  
ut ea quæ sunt amoris minimè postponam.  
Quia quidam Episcopus litteras Aposto-  
licas missas à Gregorio, ac publicè lec-  
tas, publicè scindi fecit, Gregorius scri-  
bens Diacono suo, *dicit* : Qualiter hoc  
patiar scis: qui ante paratior sum mori,  
quàm beati Petri Apostoli Ecclesiam meis  
diebus degenerare: Mores autem meos  
benè cognitos habes, quia diu porto: sed  
si semel deliberavero non portare, con-  
tra omnia pericula lætus vado. *Et ad Ma-*  
*ximum Episcopum [c] priùs criminosum,*

[b] Idem Epi. Constant. Epis. 4. l. 6. indi. 25.

[c] Epist. 81. li. 7. ind. 2.

post humiliatum, tria ibi dicit notatu digna. Primum, credita, ait, sollicitudo nos vehementer angebat, ne quædam illicita quæ de te audieramus negligenter omittere videremur. Ecce, hic sollicitudo & zelus boni Pastoris. Secundum, sicut cum perseverantibus in culpâ oportet esse distractos, ita cum resipiscientibus, oportet esse benignos. Tertium, ut tecum temperantiū ageremus, exegit etiam petitio excellentissimi viri Galinici Exarchi, cuius voluntatem nec pertulimus, nec potuimus contristare.

*Idem ad Regem Recharedum [d]:* Quandò, ait, delicta punienda sunt, curandum, ne ira subrepat, ne fiat citius omne quod licet. Non enim ira debet præire, ut domina: sed post rationis tergum, velut ancilla, famulari, ut ad faciem iussa veniat: nam si semel mentem possederit, justum deputat, etiam quod crudeliter facit. Ideò Jacobi dicitur: Ira viri justitiam Dei non operatur. Sic tamen superatâ irâ, debet in tranquillitate judicium exerceri, ut tamen in ipsâ tranquillitate severitatis censuram non deseras.

---

[d] Gre. Regi Visigotorum. Epist. 126. propè fin. lib. 7. ind. 2. To. 2. Idem Epi. 129.

Hoc frequens in Epistolis Greg. Quandò nuntiabatur ei crimen quod in aliquâ Dioceesi accidisset, sine denuntiatione punitionis, mox increpatoriam Epistolam mittebat ad Episcopum, ob tarditatem punitionis: sæpè repetens hanc sententiam, priùs ad me punitionis, quàm delicti rumor perferri debuit. Dicit tamen [e], quòd illa Episcoporum in puniendis delictis sollicitudo est utilis, & cautela laudabilis quandò totum agit ratio, & furor nihil sibi vendicat; restringenda ergò, ait, sub ratione potestas est. Et quandò auditio crimine concitatur mens, nihil agendum, priùs quàm concitata mens ad tranquillitatem redeat. Nam commotionis tempore, justum putat ira omne quod fecerit.

*Et ibidem [f]:* In magnis, ait, criminibus severitatem exigentibus, agendum ut culpam ultio corrigat, & correctis, post gratia non negetur. Quando autem excessus non est magnus, sæpè ignoscendum, & relinquendum illi undè verecundiam habeat: nam quandòque plus vi-

[e] Gre. Duci Campaniæ. Epi. 12. in prin. lib. 83. indic. 3.

[f] Greg. Clementinæ Patriciæ. Epist. 16. ubi sup.

tium habet discreta in correctione remissio, quam in exequenda ultione districtio: quia illa facit plerumque fideliores ac subiectum, hæc vero obstinatum & æmulum. Quoties ergo, ait [g], ita animum invadit, mentem edoma, vince te ipsum, differ tempus furoris; & cum tranquilla mens fuerit, quod placet vindica. Ita numquam est sequenda [h], quia numquam debet præire: alioquin inter malignos spiritus revocamur ad veteris hominis similitudinem, juxta illud: Turbatus est à furore oculus meus [i]: Inveteravi inter omnes inimicos meos. Est tamen ira aliquando ostendenda, non tamen exhibenda: aliquando etiam exhibenda, quando videlicet placata mente irascimur in executione justitiae: *Idem* [k], in correctione hic est ordo servandus, ut personas diligas, & vitia persequaris: ne forte aliter agens, transeat in crudelitatem correctionis, & perdas quos emendare desideras. Sic enim vulnus debes abscindere [l], ut non possis ulcerare quod sanum

[g] *Idem* ad Leontium Exconsu.

[h] *Idem*, Epist. 51. à medio ubi supra.

[i] Psalm. 30.

[k] Abbatii Lirinensi, Epist. 8. in medio lib. 9. indic. 4.

[l] Micheas. 30.

est, ne si plus quam res exigit, ferrum im-  
presseris, noceas cui prodesse festinas.  
Ipsa ergo tua dulcedo sit cauta, non re-  
missa, & correctio ipsa diligens sit, non  
severa; sed sic alterum conditatur ex al-  
tero, ut & boni habeant amando quod  
paveant, & pravi metuendo quod dili-  
gant. Si diligenter legeris Epistolas Gre-  
gorii, miraberis ejus indefessam vigilan-  
tiam in correctione vitiorum. Quoties-  
cumque nuntiabatur (*m*) ei crimen alicui-  
jus personæ à fide dignis, mox fatage-  
bat, vel scriptis monere delinquentem,  
vel, si vitium grave erat & dubium, in-  
jungebat alicui examen, vel citabat coram  
se personam: si verò evidens erat, puni-  
ri curabat. Denique nihil omittebat de his  
quæ prudens justitia exigebat. *Et Bernardus inquit ad Eugen.* Moveatur indigna-  
tio tua contra oppressores: moveatur mi-  
seratio erga oppressos.

*Tito dicit Paulus (n): Hæc loquere &*  
*exhortare, & argue cum omni imperio.*  
*Et Timotheo dicit (o): Increpa cum om-*  
*ni patientia: quia, inquit Gregorius, Ti-*  
*motheus ferventioris & acrioris spiritus*

---

[*m*] Eccles. VII.[*n*] Tit. II.[*o*] 1. Tim. IV.

erat, ideò egebat temperamento & freno: Titus autem, quia mansuetioris, ideò calcari egebat & stimulo. Exhortatur idem Reginam Angliæ (*p.*), ut ei opem ferat ad punitionem pravorum Sacerdotum qui in regno suo degebant, quoniam eos, id est Episcopos, quorum est hæc insequi, nec sollicitudo eos movet ad inquirendum, nec zelus ad puniendum. Et testatur quòd causa ruinæ populi, sunt Sacerdotes mali: quia tunc populus, nec habet mediatores, ac intercessores dignos ante Deum, neque exempla vitæ: & concludit, quòd qui emendare potest, & neglijit, participem procul dubiò se fecit delicti quod non emendavit. Vigeat ergo zelus rectitudinis in ultionem vitiorum. Vide, quæso, quod habetur distin. 83. de hâc materiâ: sunt enim verba quæ maximum timorem ingerunt Episcopis, in peccatorum correctione negligentibus.

Ex Bernardo habes, quòd perveniat homo uni vitio assuetus: obducitur enim ei callus, ita ut jam non sentiat vulnus quod ante sentiebat: quia stupidum & insensible factum est: quod enim ante judicabat amarum, nunc jam dulce putat; quod antè

importabile, nunc jam leve, imò delectabile fit. Cor sic induratum, jam ipsum non scinditur compunctione; non movetur pre-cibus, minis non cedit; flagellis induratur: Deum non timet, hominem non reveretur, novissima non memoratur, nec curat, &c. Quis, quæso, interius sanare poterit inveteratum concubinariū?

Pii cordis est, ait Bernardus, cedere importunitati, quæ ad id quod oportet, adduci non patitur. Ama & frequenta se-cretas admonitiones & corrections pa-ternas: sæpè enim hæ benè natis ingenii efficaciores & utiliores sunt, quàm publi-cæ aut judiciales punitiones.

XXXXXXXXXXXX?XXXXXXXXXXXX

*Contra pusillanimitatem, & scrupulos conscientiæ, unamque tristitiam sæ-pè infestantem nonnullos pios Pas-tores.*

## C A P U T X.

**T**ONGÈ oportet abesse cor Episcopi à pœnâ illâ quam Judæis Dominus com-minatus est (*a*): Dabit tibi Dominus cor

---

(*a*) Deuter. XXVIII.

pavidum , & animam moerore consumptam : sed potius ad eum pertinet verbum illud Moysi ad Josue ducem constitutum ( b ) : Confortare & esto robustus , tu enim introduces populum istum in terram promissam , &c. Verum quidem est , ut Chrys. dicit ( c ) , quod fluctus animum Episcoopi concutientes , crebriores infestioresque esse solent ventis mare conturbantibus , attamen tunc vel maximè fiduciâ ac fortitudine opus est. Legi , ait Bernardus ad Eugenium Papam , apud quemdam sapientem : Non est vir fortis cui non crescit animus in ipsâ rerum difficultate : ego autem dico , quod fideli homini magis est inter flagella fidendum , & quamvis non succedant ad votum , quæ secundum Deum conamur , Deo flagellante nos , numquid ideo non debet homo facere quod teneatur , quia Deus facit quod vult ? Igitur et si videamus multa mala , non est deponendus animus , sed semper speranda sunt meliora : numquam enim magna bona mortalibus provenerunt quæ non præcesserint magna mala. Itaque etiam in ipso malorum & calamitatum diluvio , in latitudine

( b ) Deut. 32.

( c ) Chrys. l. 3. de Sacerd.

cordis & fiduciâ ambulandum est , alio-  
qui ubi libertas filiorum Dei ? Ubi spiri-  
tus ille de quo Apostolus ait (*d*) : Non  
accepistis spiritum servitutis iterum in  
timore , &c. Animus igitur qui solum  
Deum præ oculis habet & facit quod  
in se est , cur agitatitur scrupulis ? Cur  
tristitiis eviscerabitur ? Cur spiritu pusil-  
lanimitatis constringetur ? In Psalm. (*e*)  
ubi nos habemus , jacta super Dominum  
curam tuam , juxta Hebræum habetur : pro-  
jice onus tuum in Dominum , id est , fi-  
denti animo onera curarum ac tristitiarum  
tuarum , in Domino projice. Quòd si ante  
p*ri*ma orales curas & molestias fruebaris otio  
co templationis , memento verbi August.  
sic dicentis : Nec otia vestra necessitatibus  
Ecclesiæ præponatis : cui si parturienti nul-  
li boni ministrare vellent , quomodo naſ-  
ceremini , non inveniretis. Manebas for-  
tè in monte , levatis manibus orans cum  
Moysè : jussit Dominus ut descendas in  
campum , cum Josue pugnaturus cum Ama-  
lekitis , non deponas animum , quia nec  
in monte absque timore vivendum est ,  
neque in medio Amalecitarum diffiden-  
dum : quia Loth inter Sodomitas fuit sanc-

(*d*) Rom. 8.(*e*) Psalm. 54.

tus, & in monte solus agens, fuit inceſtuosus: de hoc Greg. in Pastor. pulchrè loquitur in hunc modum (*f*): Qui habet dona Dei ut possit esse Pastor, si vocatur, suspicere renuit, plerūmque ipsa dona sibi auferuntur: quia non pro se tantum, sed etiam pro aliis acceperat: unde Dominus dicens (*g*): Si diligis me, pasce oves meas, clare docuit quòd si testimonium dilectionis suæ est fuscipere onus pastorale, quisquis virtutibus pollens ipsum fuscipere renuit, Pastorem summum convincitur non amare: quòd si ideo curam pastoralem refugiunt quia quietem contemplatione diligunt, sciant quòd de tantis animabus rei sunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt: & juxta legem, meritò Ecclesia in illum expuet, quia noluit fuscitare ſemē fratriſ ſui Christi, defuncti ſine liberis: quia paucos in vitâ Dominus convertit; dicitur autem expuere in faciem ejus, quia exprobat quietem ejus: & confuſus & diſcalciatus manet uno pede. Quia enim ſui & proximi curam gerit, utrumque pedem calciatum gerit in præparationem Evangelii pacis: qui autem ſui dumta-

(*f*) Greg. 1. part. ca. 5.(*g*) 10. 21.

xat, unum pedem discalciatum habet.

*Gregor. ad quemdam Presbyterum inquit (h): Miror te contristatum detractionibus hominum, quasi non legeris, si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligenter: igitur inter verba laudantium, si ve vituperantium (i), ad mentem semper recurrendum est: & si in eâ non inveniatur malum quod de nobis dicitur, magna debet generari lætitia, &c. vocare tamen debemus detractores nostros, & tranquillè monendi sunt, eisque omnibus modis satisfaciendum, ne scandalisentur. Si autem satisfactionem recipere noluerint, ex illo verbo consolatio sumenda est: sinite illos, cæci sunt, &c. Magna fiducia, ait Gregorius (k), est plenæ mercedis in coelo, quandò quis hic pro bono opere deridetur aut despicitur: si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Et Apostolus (l), ut seductores, & veraces, &c.*

Ait etiam Gregorius (m) ad Patricium, Quoties stultos homines tibi derogare cognoveris, cave ne vel minimâ tristitia

(h) Idem ad Pallad. de monte Syna.

(i) Epist. 45. lib. 8. in 3. Io. 15.

(k) Matth. 15. (l) 2. Cor. 6. (m) Idem.

tangaris : si autem sine peccato tuo potes , datâ ratione , eorum compescere murmur , ad hoc teneris , ut ad sanitatem reducantur , vocando eos secretò , & eis rationem reddendo. Adducit autem ad hoc sollicitudinem Petri , in tollendo scandalum Judæorum in Baptismo Cornelii. *Idem (n)* : Ego in tanto gemitu & occupationibus vivo , ut ad dies quos ago me pervenisse pœnitentiat : sola mihi consolatio est , mortis expectatio. Undè pro me orate ut de hoc carcere citò egrediar , ne tantis laboribus diutiùs torquear.

*Bern. ad Renaldum Abbatem inquit (o) :* Onus animarum est infirmarum , nam quæ sanæ sunt , portari non indigent , ac per hoc nec onus sunt. Igitur ægros moribus exhortando , increpando , agis opus tuum , & portando sanas , quos sanando portas. Si quis verò ita sanus est , ut magis juvet te , quām juvetur à te , hujus te parem , non partem cognoscas : tamen in sanis minùs lucraris , quia tua tibi præmia minuis , in infirmis autem in tantùm magis lucratis , in quantum magis gravaris.

Non sis pusillanimis , permittens te se-

[n] Act. 10. & 11. Idem Epist. 24. lib. 11.

(o) Idem. Epist. 73.

duci & trahi ab insipientibus ad eorum prava studia , vel minus bona consilia : quales erant illi quibus Apostolus per ironiam & fugillationem dicit (p) : Libenter enim suffertis insipientes , cum sitis ipsi sapientes : sustinetis enim , si quis vos in servitutem redigit , &c. Nulla ergo te verba , nulla mundi auctoritas revocet ab Apostolicis , & rectis consiliis & institutis. Propter hoc enim scriptum est (q) : Noli esse humilis in sapientia tua , ne humiliatus in stultitiam seducaris.

Patres Eremi valde commendabant discipulis suis , ut numquam demissio & inertia , sed vigilanti & attento ac sollicito animo , semper incederent. Hoc enim modo , velut parati & in procinctu quodam erant ad omne bonum : paratus enim animus ad negotia , plus quam dimidium est negotii. Scrupulis semper angi , & de peccato irrationabiliter morderi , interdum oritur ex nimio amore sui , quo homo diligit se : ex quo oritur , ut plus aequo timeat periculum suae salutis. Satagit etiam Satanus , ut quando non potest auferre a corde hominis timorem Dei , saltet faciat illum timere vana , & falsa pericula ,

ut non perfruatur pace conscientiæ. Scrupulosi sunt valdè contumeliosi divinæ bonitati , nec de illâ rectè sentiunt , quasi Deus judex quidam esset iniquus , qui occasiones quæreret ad homines illaqueandos : cùm tamen ipse plus quam nos desideret salutem nostram. Quod autem à nobis potissimum requiritur , est firmissimum propositum ac decretum quidvis potius subeundi , quam illum offendendi. Quisquis verò tale propositum fixum in animo habet , non est cur debeat variis scrupulis angi.

Supremum remedium scrupulorum est , humiliter submittere se aliorum judicio : hoc enim remedium à Deo datum est , ut qui suâ se prudentiâ curare non potest , alienâ juvetur & quamvis contingat falli & errare aliquando eum qui consilium det , non fallitur tamen is qui accipit , quando ex mandato domini sequitur consilium ejus. Omnis amaritudo animi , undcumque veniat , efficaciter est repellenda : quia suavitas devotionis , quæ omnem superat dulcedinem , non potest esse simul cum quâvis amaritudine. Ideo vigilanter incedendum est , neque ullus aditus sœculari tristitiae , aut immoderatae sollicitudini aperiendus : sed eam omnem protinus in Dominum projicere de-

bemus, atque fiduciâ securi in pace & tranquillitate cor nostrum perpetuò retineamus. *Bern. scribens ad Eugen. Papam,* (r) suadet ut non detineat in regimine pastorali, quemdam qui omnino invitus acceptavit, & invitus exequebatur, allegans B. Ambrosium dicentem, quod nemo invitus benefacit, etiamsi bonum sit quod facit, quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis, &c. Et ad ipsum qui obstinatè renitebatur curæ abbatiali (f), fratrem scilicet Rualenum scribit epistolam, ubi hortatur eum, quod confortetur in Domino, & nolit jam contra stimulum calcitrare. Induere, ait, fortitudine, confidens & sciens quia gaudium Domini fortitudo tua: induere igitur lætitiam salutari. Et libro de interiori domo dicit (t), quod tristitia omnis boni impedimentum sit. Vis scire unde oriatur diffidentia salutis; lege Augustin. in præfatione Psalmi (u), Beati quorum, ubi hæc habet: Mala conscientia tota est in desperatione; bona conscientia tota est in spe: retrahit enim mala conscientia à spe, & subdit; qui igitur vult habere bonam spem, habeat bonam con-

(r) Epist. 258.

(t) Cap. 15.

(f) Bern. Epist. 206. to. 2.

(u) Psalm. 31. August.

cientiam : ad habendum autem bonam conscientiam , credat , & operetur. Quid horres , inquit Augustinus , labores (*x*) ? An nescis quia fornax mundus , ignis tribulatio , aurum electi , palea iniqui , aurifex Deus : ardet palea , purgatur aurum , palea vertitur in cineres , aurum purgatur à fôrdibus ; quod vult ergo , inquit artifex , facio , ubi me ponit , tolero : jubeor tolerare , novit ille purgare , ardeat & fulgeat palea ad incendendum me , & quasi consumendum : sed tamen illa tandem vertetur in cinerem , & ego fôrdibus carebo. Subjecta ergo esto Deo anima mea , quia ab ipso patientia mea.

*Bernardus* cuidam *Abbati* (*y*) , cui proponebat dimittere Abbatiam , ut sibi quietius vacaret , omnino hoc interdicit , tûm quia charitas non quærit quæ sua sunt , tûm quia sequeretur scandalum & turbatio pacis. Libenter , ait , carebo quantolibet etiam spirituali quæstu , qui non posset accquiri nisi cum scando ; ubi enim scandalum , ibi proculdubio charitatis est detrimentum. Ubi autem est diminutio charitatis , non potest sperari spiritualis exercitii profectus. Item qui pro-

*x) August. Psalm. 61.*

*(y) Bern. Epist. 82. Joan. 5. Carnot.*

priam quietem communi utilitati præfert, non potest dicere, mihi vivere Christus est, & mori lucrum, & ubi erit illud (z): Nemo sibi vivit, & nemo sibi moritur? *Et illud (a):* Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant; & : Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est? *Et illud:* Alligatus es uxori, noli quærere solutionem, &c. Deniq; ait (b): Illud desiderium propriæ quietis spiritualis esse immissum à diabolo, qui eam rationem excogitaverit turbandæ unitatis & pacis; atque is suggerit, ut dimitiat certum bonum quod tenet, spe futuri & incerti boni.

*Et alium Abbatem in eodem casu sic moneret (c):* Tene quod tenes, mane in quo es, & stude prodesse quibus præes; nec præesse refuge, dum prodesse potes: quia vae quidem tibi si præes, & non prodes; sed vae gravius, si quia præesse metuis, prodesse refugis. *Et ad quemdam qui contra consilium ejus conatus fuerat à se rejicere sarcinam curæ pastoralis, dicit (d):*

(z) Philipp. 1.

(a) Rom. 14. 1. Cor. 10. 2. Cor. 5.

(b) 1. Cor. 7.

(c) Bern. Epist. 86. ad Ab S. Theodoric.

(d) Bern. Epist. 87. ad Oggetium Canonic.

Attende si licuit Christiano injunctam sibi dimittere obedientiam ante mortem, cum Christus factus fuerit obediens usque ad mortem. Si dicis quod impetrasti licentiam ab Episcopo cedendi, dico quod cum fuerit importunitate extorta, non fuit licentia, sed violentia; quod enim tuum importunitate vietus Episcopus, invitus fecit, non fuit absolvere, sed abrumpere. Gaudes quia exoneratus es, & ego vereor quod Deus sit in te exonoratus; cuius proculdubio ordinationi refistis, dum promotus ab illo, tu te dejicis. Oportebat etiam patienter portare onus impositum, animo non frangi, pusillanimitate non vinci; & semel suscepsum deponere non licebat. Si allegas difficultatem vel impossibilitatem (*e*), omnia possibilia sunt credenti. Hoc verum est quod ideo deposuisti, quia magis tibi placuit quies tua, quam utilitas aliena; nec mirum, placet fateor & mihi quod haec quies placeat tibi, si tamen non nimis: Quodcumque autem bonum ita placet, ut si recte fieri non possit, placeat tamen fieri eo modo quo fas non est, nimis est: ac per hoc jam quia bene non sit, non est bonum. Igitur

(*e*) Mat. 9.

oportuit, te vel non suscepisse gregem dominicum servandum, aut susceptum nequaquam relinquere: nolo ergo te in desperationem mittere, quia jam fecisti: sed nolo quod reputes hoc parvam culpam, sed ob illam semper timeas, semper poeniteas. Neque putas me indignari, quia non acquievisci consilio meo: cum potius quandò mea sententia eligitur, gravi onere premi me sentio, rei finem pavidus expectans.

Cui justiū vivam (*f*), quam ei qui si non moreretur, ego non viverem? Serviamus ergo illi charitate, quae timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit, & tamen plus omnibus urget: nullus terror sic sollicitat, nulla præmia sic invitant, nulla justitia sic exigit.

Non consterneris animo, quia quietem non habes; ut enim dicit (*g*) Prosper. Qui pro multis occupatur ut alii proficiant ac Deo vacent, profectus illorum ejus fructus est; & qui sollicitudines omnium portat, in ipsis proficientibus proficit, & gloria illorum gloria ejus est.

(*f*) Bernard.

(*g*) 2. de vita comtemp. Cap. 16.

Charitas , ait idem , (*h*) omnium profectus suos reputat , ac de alienis peccatis , tamquam de propriis , misericorditer luget.

Basilius (*i*) : Sicut ossa robore suo carnis mollitem sustentant , sic in Ecclesiâ sunt quidam qui ob virtutem ac fortitudinem suam , debilium infirmitates ferre possunt. Hieronymus dicit (*k*) , quod ille est perfectus , qui in eremo , squalorem solitudinis , & in cænobio , infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat.

Basilius suam in vitâ & onere pastori- li fortitudinem declarans , sic de se dicit (*l*) : Hæc vita corpus meum conterit , & animam conturbat , quod impares huic ponderi virtute reperiamur : corpore namque toto jam ferè nullus sum ; ad eam namque debilitatem deduxit me cura : at tamen , auctore Deo , durabimus , ac donec spiritus hos reget artus , hanc Christo diligentiam debebimus , ut de his quæ ad Dei Ecclesiæ ædificationem facere cognoscimus , nihil relinquamus. Et idem in Hexameron fatetur (*m*) se neque in ad-

---

(*h*) Prosp. 1. 105. 3.      (*i*) Basil. Psalm. 38.

(*k*) Hyeron. Lib. 2. in Thre.      (*l*) Basil.

(*m*) Basil. Hom. 7.

versâ valetudine remisisse docendi seu  
prædicandi studium.

Beatus Thomas sic dicit (*n*): Quan-  
diù Episcop. potest esse utilis proximo-  
rum saluti, retrocederet si ad statum re-  
ligionis transfiret, ut solùm suæ saluti in-  
sisteret, &c. Si tamen, inquit, ob se-  
nectutem, vel infirmitatem, vel alia im-  
pedimenta, impeditur procurare subdi-  
torum salutem, potest auctoritate Papæ  
deserere curam pastoralem, quia solus  
Papa potest dispensare in voto perpetuo,  
quo quis se astrinxit ad curam subdito-  
rum, dum Episcopatum suscipit.

Augustinus contra litteras Petiliani, sic  
dicit (*o*): Unguentum spiritualium gratia-  
rum descendit à capite Christo, & ungit  
barbam, per quam intelliguntur viri for-  
tes in Ecclesiâ, id est, veri Pastores;  
deinde ad reliquum populum.

De magnanimitate (*p*), ac fortitudine  
animi quam debet habere Episcopus, cùm  
vexatur importunitatibus pauperum ac vi-  
duarum, loquitur Chryso. Paupertas, in-  
quit, est malum insatiabile, querimoniâ

(*n*) S. Th. 2. 2. q. 185. art. 4. ad primum in  
Cor. ar. (*o*) Aug. 2. cap. 104.

(*p*) Chrys. l. 3. de Sacer.

semper, & ingratitudine plenum: ideo absit ut Episcopus turbetur, quandò vi-duae pauperes intempestivè obtundunt, aut immeritò expostulant. Illorum enim infelicitas, misericordiam potius, quam contumeliam meretur, & extremæ crudelitatis est addere dolorem dolori. Absit ut is excandescat irâ propter paupe-rum efflagitationes, aut assiduum illorum occursum. Et de hoc habes in Eccl. (q) ut idem citat. Quòd si non consolaris verbo, sed potius tuâ destomachatione anxietatem auges, quamvis dones aliquid, non sentit subsidium. Quòd si vultu ac verbo consolaris, donum conduplicas: Ideò dicitur (r): Melius verbum quam datum. Ibidem etiam differit de ægrotis curandis, de hospitibus recipiendis, de virginibus Christi & curandis, & custodiendis. Episcopus pusilli & exigui ani-mi, seque nimium amans, ingruente ad-versitate statim cogitare incipit, quomo-do impositum sibi onus excutiat, ut quiescat. Non sic Athanasius, non sic Chrysostomus: imò insurgentibus contra ipsos principibus, &c. Tunc acrius pro Eccle-siâ certabant, & seipso pro eâ murum

opponebant : quia videbant hoc expedire ad gloriam Christi , & ovium salutem.

Chrysost. super illud (f) : Nemo adolescentiam tuam contemnat , dicit, quod Episcopus in his quæ ad se pertinent , constanter ferat contemni , maledici , & lacerari : nam si in his velit se ulcisci , omnino taxabitur. In his autem quæ pertinent ad salutem aliorum , omnino non ferat contemptum , sed imperio & auctoritate suâ utatur : summâ curâ providens , ne quid noxiū immineat gregi : aliter enim facere , non mansuetudo , sed stultitia est. Quid pusilliāmitas , ait ? Si hoc aut illud fecero , multis displicebo. Quid ergo vis ? An speras quod apostolica instituta , & evangelica consilia , carni placitura sint ? Obtura ergo aures vōcibus carnalium , ut Christum audias.

Duplex martyrium occurrit in pastorali officio : alterum quidem merè pœnale , quod præcipue versatur , sive in laboribus externis , sive in internis amaritudinibus , angustiis , exacerbationibus , ariditatibus , &c. Alterum verò oritur ex scrupulis , & perplexitatibus quæ circa agenda , vel non agenda occurrunt.

currunt. Hoc autem non est merè poenale : quoniam habet annexum periculum culpæ , & hoc est longè terribilis , & intolerabilius. Verbi gratiâ , sitne puniendum , an ferendum tale crimen : an permittendum quòd ille non resideat , quòd non habeat plura beneficia , & multa his similia. In quibus casibns ad anchoram orationis confugiendum est. Ora igitur , dicens , Domine tu omnia nosti , tu scis quòd nullâ ratione volo displicere tibi , quin potius occidi magis quam te offendere paratus sum : illumina ergò oculos meos , & doce me facere voluntatem tuam , quia Deus meus es tu. Erit autem maximum in his anxietatibus & scrupulis solatium , si animus benè sibi conscient , animadverterit has omnes anxietates non ex aliquo peccato proprio , aut inordinata aliquâ affectione ad terrena , sed ex sola curâ , & sollicitudine curæ pastoralis ori- tri. In hoc enim casu , cùm homo id præstat quod præstare potest , non habet cur animus laceretur , aut discrucietur.





*Prudentia ac circumspectio Pastoris in  
verbis & factis.*

C A P U T I L.

**D**ISTINCT. 23. Cap. Qui *Episcopus*, ex Concilio Carthaginen. 4. cui interfuit August. sic legitur : Qui Episcopus ordinandus est , antea examinetur si sit prudens , si docilis , si moribus temperatus , si pervagil , si semper suis negotiis cavens. Nam propter stolidam , aut stultam simplicitatem , repellitur aliquis ab Episcopatu , ut habetur 39. Dist. ubi dicitur (*a*) : Petrus Diaconus , quem à vobis electum asseritis , omnino , ut dicitur simplex est , & nostis quoniā hoc tempore talis in regiminis arce debet constitui , qui non solum de salute animarum , sed etiam de extrinsecâ utilitate & cautelâ , sciat esse sollicitus : sit humilis & affabilis , & in sensibus Scripturarum cautus & acutus. Inter omnia vitia prudentiæ contraria , quod primo loco cavendum est , est faci-

(*a*) Dist. 39. c. Petrus,

Litas credulitatis , ut exprefsè habes à divo Bernardo , qui sic ad Eugenium ait (*b*): *Est , ô Eugeni , unum vitium , cuius si te sentis immunem , inter omnes quos novi ex his qui cathedras ascenderunt , sedebis , me judice , solitarius : hoc est facilitas ctedulitatis , cuius callidissimæ vulpeculæ , magnorum neminem comperi fatis cavisse versutias : ex quâ in ipsismet pronihilo multæ nascuntur iræ.* Indè innocentum frequens addictio : indè præjudicia in absentes , &c. Joannes in extravagante Divinis , ita ait : *Nos mala contra aliquem dicta nolumus priùs credere , quam probare.*

Manum tuam , ait Bernard. *cuidam Episcopo* , misisti ad fortia , fortitudine opus est : speculator factus es , prudentiâ opus est. Hæc est abbatissa virtutum , nulla earum aliquid benè agit , nisi eâ dirigente. Memento verborum Job (*c*) : *Causam quam ignorabam , diligentissimè investigabam.* Attende à falsis Prophetis , id est , consulitoribus , quorum consilia Deo non sunt odorifera : cautè audienda sunt eorum hominum consilia , in quibus non constat

---

(*b*) Bern. 2. de cons. §. 13.

(*c*) Cap. 29.

vigere timorem Dei , aut qui affectibus carnis obnoxii sunt.

Præcipitur nobis quòd in conversatio-  
ne simus simplices , suaves , dulces , sicut  
columbæ : prudentes tamen sicut serpen-  
tes , id est , servantes caput , id est , cha-  
ritatem : hoc est , nihil omnino illicitum  
facientes ob cuiusquam auctoritatem , re-  
spectum , preces , amorem , timorem , &c.  
vigilantissimis oculis perspiciendo an in  
eo quod petitur latet aliquid veneni ,  
ut constanter quidem , & tamen suaviter  
negetur. Item , oportet oculis linceis vi-  
dere diaboli facundiam. Nihil est quod  
non aliquas apparentes rationes habeat ,  
& quod non possit verbis honestari , præ-  
fertim hominum eloquentium. Cujusmo-  
di sunt ea quibus multi probare conter-  
dunt , magnificum apparatum atque splen-  
dorem , decere domos Episcoporum : qui-  
bus tamen nullo modo adversus Patrum ,  
& Conciliorum decreta , & exempla con-  
cedendum est , juxta illud (*d*) : Ne trans-  
grediaris terminos antiquos quos posue-  
runt Patres tui. *Eccles. 32.* Sine consilio  
nihil facias , & post factum non pœnите-  
bis. *Et ibidem etiam.* Ante omnem actum ,

(*d*) *Prov. 22.* *Eccles. 32.*

consilium præcedat te. Sed cuius (*e*): *Hoc etiam dicitur ibidem.* Anima , inquit , viri sancti , annuntiat aliquando vera , plusquam septem speculatorum sedentes in excelso ad speculandum.

Qui præcipitanter , & absque prævio consilio res agunt , plerumque pœnitent eos factorum. Ideò scriptum est , fili , sine consilio nihil facias , & post factum non pœnitebis. Et (*f*): palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Prælatis cavenda sunt duo extrema , scilicet pertinacia , & inconstantia. Pertinacia ex superbiâ nascitur , quia homo meliorem se cæteris æstimans , sententiam suam aliorum sententiis anteponit , quibus dicit Apostolus (*g*): Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Inconstantia autem ex levitate nascitur : ideo dicitur (*h*): Cor stultorum dissimile erit , quia dum mutabilitate se varium exhibet , numquam idem quod fuerat manet. Quomodo Gregorius cedebat consilio multorum , colligere poteris ex Epist. 33. Scribens enim cuidam , qui

(*e*) Cap. 37.(*f*) Eccl. 32. Prov. 4.(*g*) Rom. 12.(*h*) Prov. 15. l. 1. Epist. 33. Venantio cancellario Italiae indic. 9.

à monachatu apostataverat, sic ait: Si pro zeli mei ardore fortè in hâc causâ sus pectus sum, cunctam simul Ecclesiam in consilio hujus disceptationis adhibeo, & quidquid omnibus fieri salubriter placet, ego in nullo contradico, sed quod in commune decernitur, latus impleo, & subscribo. Animadverte quâm humiliter & suaviter Gregorius respondet (*i*): Constantiæ angustæ, quæ petebat ab eo, quod ipse dare debitè non poterat, Reliquias scilicet corporis divi Pauli. Dùm desiderarem, ait, illa mihi à vestrâ serenitate impertiri, in quibus facillinam obedientiam exhibens, vestrâ erga me amplius potuisse provocare gratiam, major me mœstitia tenuit, quòd illa præcipitis quæ facere nec possum, nec audeo. Et miranda quædam ibi, ad sui excusationem commemorat, nihilominus tamen promittit, ex catenis ejus Apostoli particulâs quædam limâ subtractas, se ad eam missurum. *Et in aliâ Epistol.* cuidam scribit se graviter contristatum, quòd is petivisset ab eo quædam in quibus voluntatem ejus non poterat facere, quia ratio ob sistebat. Itaque cum magnâ dulcedine ratione red-

(*i*) Idem, Epist. 30. lib. 3. indic. 12. tom. 1.

ditâ , negabat quod petebatur , quando fas non erat concedere ; & contra Joan. Episcopum Constant. qui sibi nomen universalis Episcopi usurpaverat (k) : Prius , ait , modestâ admonitione pulsandus est animus ejus , qui si nequaquam à suæ elationis rigore voluerit inclinari , tunc quid fieri debeat , cum omnipotentis Dei folatio subtilius pertractabitur. Non enim pacem veraciter tenemus , nisi cum superborum culpas cum charitate simul & justitiâ prosequimur , diligenter homines & vitia persequentes. Vulnera nempe , ait , quæ resecanda sunt , prius levi manus palpanda sunt. Et ad Castorium , cui causam quamdam examinandam commiserat : Vide , ait , ne negligenter agas , ne fidem ad devotionem tuam quisque corrumpat. Omnia age blandè & dulciter , ut actio tua disticta sit , & lingua mitis. Non sis contentus duas aut tres personas requirere ; require graviores quotquot inveneris.

Semper in corde geras illud Bernardi , quod is protulit in fine vitæ : Semper minus meo sensui , quam alterius credidi ; scandalum nemini facere volui , & si in-

(k) Mauritio Aug. Epist. 22. lib. 4. indic. 13: tom. 2.

cidit, sedavi ut potui.

*Et Gregor. inquit (l) :* Ego Jesum invoco testem in animam meam, nulli hominum à summo usque ad ultimum, occasionem scandali me dare velle. *Et contra quemdam Episcopum senem ita scribit :* Quamvis scriptum sit (m) : Seniorem ne increpaveris, hoc tamen intelligitur quando culpa senis non trahit ad interitum juniorum (n); nam senex exemplo pervertens juvenes, districtâ increpatione feriendus est (o); nam scriptum est : Laqueus juvenum omnes vos, &c.

*Idem etiam dicit (p) :* Non fiat Abbas qui sibi sapiens esse videtur, nec est in suo sensu humilis.

*Idem (q) :* Sacerdotali proculdubio convenit gravitati, ut emergentes causas & querelas Ecclesiæ suæ, sine morâ definiat; aut, si fieri potest, pacificâ ordinatione; aut certè judicio interveniente. *Idem.* Mentiibus duris, simul omnia vitia abscindere,

(l) Greg. Ciriaco. Epist. Constant. Epist. 28. lib. 6. ind. 15. Greg. lib. 7.

(m) Epist. 1. in prin. indic. 2. Epist. Caralitano.

[n] 1. Tim. 5. Isai. 42. Epist. 91.

[o] Epist. 58. l. 8. indic. 3.

[p] Bonif. Epist.

[q] Epist. 81. Epist. 71. lib. 9.

impossibile est, quia is qui gradum summum ascendere nititur, gradibus, vel passibus, non saltibus elevatur Unde Augustinus Episcopo Anglorum præcipit ibi, ne permittat Anglis recenter ad fidem conversis, immolare animalia idolis, ut solebant; sed permittat tamen ut occidant ea in festis Martyrum, ut ex eis celebrent convivia propè Ecclesiam in Tabernaculis ex ramis contextis, &c.

*Et in aliâ Epistol. (r)* increpat valde quemdam Episcopum, quia non exhibebat studium dilectionis Monasteriis, & oppressis pauperibus, nec opem ferebat supplicantibus in justis petitionibus, nec volebat audire consilia prudentium, nec servabat gravitatem Episcopo dignam, ut potè qui quotidiè pergeret ad mare, uno, aut duobus clericis comitatus: quo siebat, ut apud suos esset in fabulâ, & apud extraneos sic vilis ac despicibilis, ut nihil habere auctoritatis aut gravitatis judicaretur. *Item ad alium Episcopum*, qui commotus irâ, excommunicaverat quemdam Abbatem (s).: Frequenter, ait, admonuisse vos recolo, ut in proferendâ

(r) Idem Epist. 29 lib. 102.

(s) Idem Epist. 29. lib. 124.

sententiâ , esse præcipites nullatenus debetis. Præsertim cùm ille esset in ægritudine constitutus : quem enim divina disciplina conterit , ei humana flagella addenda non sunt. Igitur quantum exasperasti illum , tantâ nunc dulcedine consolare. *Et in eodem casu (t) :* Causæ quæ per sententias , inquit , sunt decidendæ , necesse est ut priùs studiosâ & frequentissimâ consideratione mensurentur : nihil potestati , sed totum æquitati tribuatur.

*Bern. (u)* Plures sunt , qui sine querelâ inter fratres conversantur : super fratres verò , non solum inutiliter , sed etiam insipienter & nequiter. Pauci namque sunt qui utiliter , pauciores , qui humiliiter præsint. Qui autem ad hoc sunt idonei , illi nimis rūm sunt qui matrem virtutum discretionem perfectè adepti sunt , qui etiam vinum charitatis usque ad contemptum propriæ gloriæ , & usque ad suimet oblivionem , non quærendo quæ sua sunt , Spiritus Sancti magisterio ebiberunt.

Nam virtus discretionis absque charitatis fervore , jacet ; & fervor vehemens absque discretionis temperamento , præcipitat. Nam fervor debet erigere discretion-

(t) Idem , Epist. 39.

(u) Bernard.

nem, & discretio fervorem regere debet; ac demum subjectis nec defit in curâ, nec in superbiâ præsit. *Et ad Eug.*  
*dicit (x):* Mater fortitudinis est prud-  
tia, neque est fortitudo, sed temeritas,  
quilibet ausus quem non parturivit pru-  
dentia. *Idem ad eundem:* Non solum ca-  
vere teneris quod malum est, sed quid-  
quid malè fuerit coloratum. *Et ibi:* In  
omni agendo tria consideranda, an li-  
ceat, an deceat, an expediat. Quandò  
litigantes veniunt ad te, de suis negotiis  
tractaturi, duo tibi facienda sunt. Primam  
da operam ut inter illos de pace & ne-  
gotio convenient: Deinde, exhortare  
ne pro terrenâ possiunculâ regnum cœ-  
lorum amittant, &c. Et sic etiam inter  
negotia temporalia, facultas tibi dabitur  
divina tractandi, atque ita, in hoc etiam  
opere, Pastoris officium exequaris. Ora  
cum sapiente ante cuiusque gravioris ne-  
gotii decisionem, dicens (y): Da mihi,  
Domine, sedium tuarum assistricem sa-  
pientiam, & noli me reprobare à pueris  
tuis, quoniam servus tuus sum ego &  
filius ancillæ tuæ, homo infirmus, &  
exiguus temporis, & minor ad intellectum.

(x) Lib. de consil. .

[y] Sap. 3.

judicii & legum. *Sequitur* (z) : Mitte il-  
lam de cœlis Sanctis tuis, ut mecum sit,  
& mecum laboret, ut sciam quid accep-  
tum sit apud te. Scit enim illa omnia, &  
intelligit. Et deducet me in operibus tuis  
sobriè (a). Quis enim hominum potest  
scire consilium Dei ? Aut quis potest co-  
gitare quid velit Deus ? Cogitationes mor-  
talium timidæ, & incertæ providentia  
nostræ. Sensum ergò tuum, quis sciatur,  
nisi tu dederis sapientiam, & misericordia  
ritum Sanctum tuum de altissimis (b) ?  
Cùm fatuis consilium non habeas : non  
enim poterunt diligere nisi quæ eis pla-  
cent. Primum ac præcipuum remedium  
curando peccatori, est sic dulciter eum  
tractare, sic omnibus eum sinceri amoris  
verbis & obsequiis prosequi, ut ille ve-  
ram hanc intelligat dilectionem. Hoc enim  
iacto fundamento, quidquid dixeris, li-  
benter accipiet.

*Gregorius* (c) : Summoperè præcaven-  
dum est, ut Rectores Ecclesiæ, & qui  
publica iudicia exercent, nullatenus le-  
vitate aut favore ducti, sint præcipites:  
sed causis priùs diligenter ventilatis, cùm

[z] Sap. 9. [a] Sap. 9. (b) Eccl. 8.  
(c) 11. q. 3. c. summopere.

res quæ ignorabatur plenè ad notitiam ve-  
nerit, tunc divinâ & humanâ (*d*) lege  
resolvatur. Et secundum quod ibi consti-  
tutum est, remotâ personarum acceptio-  
ne, definitiva sententia proferatur. *Idem*,  
(*e*) Omnis qui justè judicat, stateram in-  
manu gestat, & in utroque penso, iusti-  
tiam & misericordiam portat: sed per jus-  
titiam reddit peccati sententiam: per mi-  
sericordiam, peccati temperat pœnam, ut  
justo libramine quædam per æquitatem  
corrigat, quædam per miserationem in-  
dulgeat. Qui enim Dei judicium ante ocu-  
los suos proponit, semper timet &  
tremit in omni negotio, formidans ne de-  
justitiæ tramite devians, cadat. *Idem al-*  
*loquens Episcopos* (*f*): Licet plerum-  
que accidunt Episcopis quæ sunt reprehen-  
denda, plus tamen apud eos corrigen-  
dos agat benevolentia, quàm severitas,  
plus cohortatio, quàm commotio, plus  
charitas, quàm potestas; cùm nemo nos-  
trum sine reprehensione, aut sine pecca-  
to vivat. Nam si Dominus Petrum sta-

(*d*) Alias lex.

(*e*) Dist. 45 c. omnis Isidorus, l. 3. de summo  
bono id habet.

(*f*) Gregor. universis. Episc. per Galliam &c.  
Dist. 45.

tim post trinam negationem judicâsset,  
non tantum fructum ex eo percepisset.  
Rectores igitur Ecclesiæ delinquentes,  
magis sunt excitandi ac corrigendi, quam  
judicandi. At dicit beatus Antoninus hæc  
esse intelligenda in peccatis occultis, vel  
in peccatis ex passione & fragilitate com-  
missis: non autem quando procedunt ex  
confuetâ malitiâ, interveniente pertina-  
ciâ, ut patet ex ejusdem sententiâ supra-  
citâ, quæ incipit: Quamvis scriptum  
sit, seniorem ne increpaveris, &c. *Et*  
*alibi* (g), Ea, inquit, quæ in nobis com-  
mittuntur, facile possumus dimittere: ea  
verò quæ in Deum commissa sunt, cum  
magnâ discretione, nec sine pœnitentiâ  
possumus relaxare: *Idem* *habet* *in* *alio* *loco*:  
Sicut nostra defendimus, ita juribus alie-  
nis ambitu stimulante nequaquam dero-  
gamus; nec etiam, gratiâ favente, alicui  
plusquam meretur impartior. Quomodo  
auctoritas regiminis simul servanda sit  
cum ministerio misericordiæ, colligit  
Greg. ex illo Job: Cùmque federem qua-  
si Rex, circumstante exercitu, eram ta-

(g) Lib. 7. ind. 2. Epist. 1. in prin. Epist. Ca-  
ralitano. Et causa 2. q. 7. Paulus 1. Tim. 5. 23.  
q. 4. Si is quis, Greg. in ho. 25, q. 2. Job. cap. 29.

men mœrentium consolator. *Ber.* (*h*) Admonet Eugenium Papam, ut caveat sibi ne fallatur, quia quanto potestas major est, tanto turpis & periculosius erratur. Ac nominatim designans quemdam, ait: Non vos fallat miseranda facies illius, vialis habitus, vultus supplex, demissa supercilia, verborum humilitas, neque ipsæ quidem lacrymulæ currentes, ut aiunt, ad nutum ejus, doctæ mentiri. Habet pulchram Epist. 64. August. ad Aurelium Episcopum (*i*), in quâ, ubi reprehendit depravatam Africæ consuetudinem, scilicet quod sacerdotes celebrabant magna convivia in cœmiteriis, ad honorem martyrum, docet ibi quomodo se debet habere Episcopus, quando hujusmodi vitia emendare vult, qui multos habent auctores. Quantum existimo, inquit, non asperè, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, sed magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine peccantium: severitas autem in peccata paucorum exercenda est. Et si quid minamur, cum dolore fiat, com-

(*h*) Epist. 247. in med. 10. 24.(*i*) Aug. Epist. 64.

minando vindictam ex scripturis, ne nos ipsi in nostrâ potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Hoc modo priùs movebuntur spirituales viri, vel spirituālibus proximi, quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur, *hæc ille (k) ad Titum* inter conditiones Episcopi, *hæc numeratur*: Non præfratum, ubi nos habemus non superbū, id est, non durum, & sui sensūs plus fastis tenacem. *Item ad Phil. (l)* ubi dicit: Modestia vestra sit nota omnibus hominibus, græcè habetur æquitas, & significat hîc quamdam virtutem mirabilem, quâ homo redditur habilis ad Christianè cum omnibus conversandum: significatur enim amabilitas, & quædam promptitudo quâ homo paratus est omnibus omnium moribus se accommodare, neminem fastidire, omnibus benefacere, libenter cedere, & quæcumque potest sine offensione Dei ferre, & permittere, etiam cum jacturâ suâ, sive rerum suarum, hoc enim est, non quærere quæ sua sunt, sed quæ aliorum: nulli onerosus, aut odiosus esse, sed æquus & com-

modus, hoc est, quod ad Romanos dicitur (*m*): Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Et 1. ad Cor.* Sine offensione estote Judæis, &c. & *2. ad eosdem:* Commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum, id est, ea facimus quibus omnes homines, si conscientiam velint testari, non possint nos non commendare, & probare, nec aliquid habeant in quo nos meritò accusare possint. Hoc est omnibus omnia fieri, hoc est, modestiam nostram notam esse omnibus hominibus: hæc est præcipua virtus Prælatorum. Contra hanc regulam pacis & concordiae vehementer pugnant illi qui nihil suo juri, nihil suo sensui, nihil suæ potestati, nihil suæ causæ volunt detractum esse: sed omnes cogere, ut ipsi desertâ & contemptâ causâ & jure suo, tantum illorum quærant jus, sequantur sensum, cedant potestati, favent causæ, atque ita omnium hominum mores sibi volunt accommodari, etiam cum illorum detrimento: Ipsi autem, moribus aliorum nolunt se attemperare, rigidè suum jus exequentes, &

(*m*) Rom. XII. 1. Cor. X. 1. Cor. IV.

aliorum consiliis adversantes, nullam in rebus suis jaetoram pro pace laturi. Hinc nascuntur discordiae, turbationes, contentiones, &c. Et qui hoc faciunt, jaestant se interim, quod pro justitiâ, ac suo jure tuendo hoc faciunt: cum ex hoc ipso valde accusandi sint, quod suum jus pluris fecerint, quam pacem & concordiam, praesertim publicam. Igitur multa dissimilare debes, multis connivere: omnia sic moderari, pro loco & tempore, ut charitas & pax illibata servetur. (n) Hinc illud Poëtæ Comici: Jus summum sœpè summa injuria est. Sapiens etiam: Noli esse nimium justus: nec plus sapias quam oportet. Si Deus jus suum rigide exequetur, quis hominum viveret? Et David sœpè omisit facere quæ optimo jure potuisset in Saülem, Joab, &c. Summis ergò precibus & lachrymis pete à Domino hanc æquitatem, humanitatem, facilitatem, quam nemo habet, nisi charitatem habeat cum prudentiâ conjunctam. Frederic III solebat dicere: Qui nescit dissimilare, nescit imperare. Ferendæ enim sunt multæ infirmitates, & difficiles mores multorum. Et ideo Prælati dicuntur dii,

(n) Ter. Heauton. act. 4, sce. 5.


quia quædam divina patientia, & magnanimitas, ac prudentia in ipsis fulgere debet. (o) Quandò per litteras corripimur de aliquâ re, sed immeritò, oportet omnino respondere, ne forte si non respondeamus, culpam quæ non est, agnosceremus videamur. *Et in aliâ epist.* Cuncti penè sapientes solent in rebus dubiis, plus alieno, quam proprio credere judicio. Et qui aliorum facile ambigua quæque dilucidant, in suis confueverunt scrupulosius hæsitare. *Item dicit idem*, quod Abbas zelo Dei fervens, si tamen præsit infirmis, sic debet temperare rigorem sui propositi, ut salutem infirmorum non negligat. Invitandi enim sunt ad arctiorem vitam, non cogendi. Illud beneficium libenter accipio (p), quod prodest danti quia non requiro datum, sed fructum: alioquin quæro quæ mea sunt. *Greg.* *Et habetur 86.* Si quid de quocumque Clerico ad aures tuas pervenit, quod te justè

(o) Ber. Epist. 68. ad monac. Flavi. Epist. 82: ad Abbat. Carnote. Epistol. 8. ad Bruno. colonien.

(p) Ber. Epist. 10. ad eundem Gre. Joan. Epi. Panormitan. li. 11. Epist. 48. Indic. 6. & causa. 15. q. 7. si quid. Prosper. li. 2. de vitâ contemplativâ. c. 5. in prin. 2. Tim. 4. Macedo. ad Augu. Epis. 55.

possit offendere, facilè non credas nec te ad vindictam res accendat incognita : sed præsentibus Ecclesiæ tuæ senioribus , diligenter est veritas perscrutanda , ut si qualitas rei poposcerit , canonica districtio culpam feriat delinquentis , Apost. docet ; in omni patientiâ & doctrinâ arguendum , quoniam leniter castigatus exhibit reverentiam castiganti ; asperitate autem nimiæ increpationis offensus , nec increpationem recipit , nec salutem. *Et ibi dicit* , quòd Sacerdotes debent prudentissimè discerne re quos debent temperatâ severitate corripere , & quos debent sacerdotali magnanimitate portare. Inter Epist. August. extat Epistola Macedonii Judicis sæcularis , apud quem sæpè Aug. intercedebat pro rogantibus , cui ille respondet , non esse molestum sibi : imò & sæpè gratum , quandò personæ tales , qualis erat Aug. pro reis intercedebant. Pleraque enim , inquit , quæ spontè facere videri nolo , ne remissio severitatis alios armet in crimina , opto bonis intercessoribus relaxare , ut quod libens concedo , salvâ severitate judicij , alterius merito videatur indultum. Absit autem ut Episcopus regulam illam servet mundanæ prudentiæ , quæ Imperatoris cuiusdam nomine prædicatur. Non decet quemquam triftem abscedere à conf-

pectu Principis, nimis rūm verbis utendo artificiosè dictis, ne rem expressè negare videatur, &c. Non sic docuit Imperator noster cùm dixit (*q*): Nescitis quid pe-tatis, &c. Arbores quæ frequentius bonos fructus proferunt, non sunt evellen-dæ, quamvis aliquando acidos, aut pa-rūm utiles proferant. Sic homines qui aliàs strenui sunt, non desperandi aut profli-gandi, etiamsi aliqua in eis desiderentur.



### *De mensâ Episcopi.*

### C A P U T XII.

**E**U multi Episcoporum (*a*), hâc nostrâ calamitosâ ætate, commisi sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, epulan-tes quotidiè splendide in vasis pretiosissi-mis, auro, argentoque fulgentibus: qui-bus, ut ait, Bern. ex bonis Ecclesiæ sola alimenta debentur, non gulæ irritamenta. Et cùm Apostoli dicant (*b*): Non est æ-quum nos relinquere verbum Dei, &

(*q*) Luc. 20.

*b*) Act. 6.

(*a*) Psal. 105.

ministrare mensis etiam pauperum & vi-  
duarum , ipsi magno studio mensis suis  
intendunt , neglectâ interim curâ prædi-  
candi verbi Dei. Quâ verò fronte , hi pu-  
blicè taxare poterunt splendidas aliorum  
mensas ? *Prosp. lib. 2. de vitâ contemp.*  
*c. 17. de abstinentiâ ita dicit (c) :* Quid  
quid sine quo potest vivi percipitur , non  
sustentandæ naturæ , sed luxuriæ carnis  
impeditur. *Et c. 22. dicit* , Deliciosi cibi  
non officiunt , si absque desiderio perci-  
piuntur : viles autem si appetenter perci-  
piantur , impediunt abstinentiæ profec-  
tum : nam Heliæ non nocuit perceptio  
carnium , & David aquæ concupisen-  
tiæ in se castigavit. Igitur veri abstinen-  
tes non sunt deliciosi , neque avidi. A vino  
verò , deficiente stomachi infirmitate , ab-  
stinendum , ne quod infirmum corpus  
sustentat , sanum incendat. *Ibid. 24. dicit* ,  
quòd quandò propter advenientes fratres  
intermittimus jejunium , non solvimus  
ipsum , sed implemus charitatis officium :  
alioqui si propter abstinentiam contristo  
spirituales fratres , quos novi meâ remis-  
sione delectari , jam abstinentia mea non  
est virtus sed vitium , quoniam me inflat ,

(c) *Prosp. lib. 2. de vitâ contemp.*

& fratrem meum cui charitas jubet servi-  
ri contristat. *Hieron.* Ignominia & confu-  
sio est (*d*) Jesum crucifixum , paupe-  
rem , & esurientem fratriis prædicare cor-  
poribus , & jejunorum doctrinam , ruben-  
tes buccas , tumentiaque ora proferre.  
Si in Apostolorum loco sumus (*e*) , non  
solum sermonem eorum imitemur , sed  
etiam conversationem & abstinentiam.  
Alloquitur Episcopos & Sacerdotes. Idem  
afferit quòd multi largitate epularum in  
varios morbos incurserunt , videlicèt po-  
dagræ , quæ sit in pedibus , sicut chira-  
græ , quæ sit in manibus : qui , ait , redac-  
ti ad simplicem mensam , & pauperes ci-  
bos , convaluerunt , tres pestes , imò &  
tres serpentes , irrepunt in Episcopi dig-  
nitatem , scilicèt honor , pecunia & men-  
sa ; & miseri homines , ob eas ipsas ma-  
ximè appetunt eas propter quas , vel  
solas , maximè esset fugienda. Sæcularis  
enim lætitia quid aliud , quæso , est ,  
quàm impunita nequitia ? Paulus jam pe-  
nè Angelus effectus , castigat corpus suum ,  
timens ne reprobus fieret , & tu inter lau-

(*d*) Hier. ad secundum & dist. 33. c. Ecclesiæ

(*e*) Hier. adversus Jovinian. lib. 2. de conc. dist. 5. c. Ne tales acci.

tas mensas & delicias securus vives ? Cùm ubique & semper colloquia Episcopi debeat sapere disciplinam , specialiter tamen in mensâ hoc observare oportet, post lectionem. Et cùm ipse sit qui mensæ præest , in hoc vel maximè debet auctoritatem suam retinere , ut prudenter & civiliter abigat sermones viles , neque sit degeneris ac demissi animi in hâc parte , respiciendo personas , &c. Meminerit vero carminum quæ Aug. scripta habebat in mensâ (f). Omnibus Christianis , ait Dominus : Videte ne graventur corda vestra crapulâ , aut ebrietate , & curis hujus saeculi : quanto ergo magis hoc ad ipsos Christiani populi duces ac magistros pertinebit ? Audi quid Greg. dicat (g) : Sicut Apostolus crucem quotidie portabat in corde , per compassionem proximorum , undè dicebat (h) : Quis infirmatur , & ego non infirmor , ita crucem abstinentiae quotidie portabat in corpore : ideoq; dicebat : Castigo corpus meum , & in

(f) Carmina August. Quisquis amat dictis absentum rodere vitam , Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

(g) Luc. 21.

(h) Cor. 11.

servitutem

servitutem redigo , &c. Prædicare enim & non macerare carnem, existimabat esse aërem verberare. Ideo præmiserat , non quasi aërem verberans , &c. Greg. (i) Convivia tunc veraciter ex charitate fiunt , cùm in eis nulla absentium vita mordetur , non inanes in eis sœcularium negotiorum fabulæ , sed verba dilectionis sacræ audiuntur ; & cùm non plus quām necesse est , servitur corpori , sed sola ejus infirmitas reficitur , ut ad usum exercendæ virtutis habeatur. Hæc si vos in vestris conviviis agitis , abstinentium , fateor , magistri estis. Et quia ille dixerat gaudere se , quia cum Redemptore nomen voracis audierat , ad hoc respondit Gregor. Si de vobis verè dicitur quod de Domino falsè dicebatur , absolvere vos non potest par nomen , quorum dispar est causa. Et quia etiam ille se excusabat , quod Abraham ipse in convivio excepisset Angelos , respondet : Neque nos vos de convivio reprehendimus , si cognoverimus , vos Angelos in hospitium recepisse. Infelix

---

(i) Cor. 9. Greg. ad Natalem Episc. quem taxaverat quod vacaret conviviis , & ille se excusaverat quod animo impendendæ hospitalibus charitatis id faceret. Epist. 3. lib. 2.

illa hora , infelix illa mensa , infausta illa  
 bucella , ô Episcope , quando quasi sedens  
 ad lætam mensam incipias gaudere , &  
 obliviousi dolorum tuorum , & gravissimo-  
 rum periculorum atque onerum tuos hu-  
 meros opprimentium ! Quando eras in feli-  
 ci statu privatæ vitæ , non experiebaris  
 quid erat illud (k) : Antequam comedam  
 suspiro : modò oportet te suspirare jugi-  
 ter , & antequam comedas , & dum come-  
 dis , & postquam comederis : in his gemi-  
 tibus ac tremoribus , salus tua sita est . Quid  
 si ita increvit cœitas & incuria , ut non  
 modò gaudeas de lauta mensa , sed etiam  
 de vana effusione verborum ? Et quid , si  
 eò procederet Satanæ dementatio , ut  
 paulatim subintrante blandâ , sed virulen-  
 tâ aurâ humanæ gloriæ , sic ea serperet  
 atque corrumperet interiora tua , ut jam  
 inciperes gaudere de statu , neque ad de-  
 positionem oneris , votis saltem animi af-  
 pirares ? Ô cœcitatem ! Nonne sufficiunt  
 pericula æternæ damnationis quæ infelici  
 imminent Prælato , ob multiplices curas ,  
 & onera pastoralis officii , sed adhuc vult  
 sponte addere nova pericula , fastus men-  
 sarum , atque delitiarum ? Est adhuc &

(k) Job. 3.

alia major abusio : certum enim est , quod translatio à statu monachali ad Episcopalem , est ab inferiori ad superiorem , hoc est ad sanctiorem , religiosiorem , austriorem , ubi ipsis monasticæ vitæ virtutibus , superadduntur aliæ , quæ magis ad Episcopos spectant : videlicet , largitas , misericordia , zelus animarum , & procuratio salutis earum , &c. Quæ cum ita sint , multatamen sunt qui transitum hunc esse intelligent ad vitam laxiorem , ad fastum , ad pompam , ad mensas , ad delitias . Edone cætitatis pervenit mundus , ut epulari quotidie splendide , munus esse putet Episcopi , & hoc ipsum ad dignitatem Ecclesiæ exiftimet pertinere ? Siccine duces Christianæ militiæ , & antesignati , qui in prima acie stare & congregredi debent , & virtutum suarum exemplis alios ad simile virtutum studium incitare , carnis indulgentiæ , delitiis , opibus , & sæculi pompis ita vacabunt ? Audenter dixerim ( l ) , Ecclesiasticos præfules nihil praeter victimum & vestitum habere oportere , ne ad ista trahantur desideria .

---

( l ) Chrysost. Homi. 15. ad Tim.



*Optima quædam documenta ex Re-  
gula Sancti Benedicti.*

---

### § I.

#### *De Abbatis eleccióne.*

**A**NN Abbatis ordinatione (*a*), illa semper consideretur ratio, ut hic constituantur quem sibi omnis concors congregatio cum timore Dei, sive etiam pars quamvis parva congregationis, seniori consilio elegerit. Vitæ autem merito, & sapientiæ doctrinâ eligatur qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis.

---

### § II.

#### *De Abbatis officio in genere & ejus qualitatibus.*

**O**R DINATUS autem Abbas (*a*), & qui præesse dignus est monasterio,

---

(*a*) Cap. 64. (*a*) c. 2.

semper meminisse debet quod dicitur (*b*) : Domnus enim & Abbas vocatur , non suâ assumptione, sed honore & amore Christi. Ipse verò cogitet , & sic se exhibeat , ut dignus sit tali honore (*c*) , & nomen majoris factis impleat. Semper etiam debet meminisse quod est : Christi enim vices agere in monasterio creditur , quandò ipsius vocatur prænomine , dicente Apostolo : Accepistis spiritum adoptio- nis filiorum , in quo clamamus , Abba Pater. Ideòque Abbas cogitet quale onus suscepit (*d*) , & cui redditurus est ratio- nem villicationis suæ : quia cui plus com- mittitur plus ab eo exigitur. Et memor semper Abbas (*e*) , quia doctrinæ suæ , & discipulorum obedientiæ , utrarumque rerum in tremendo judicio facienda erit discussio , & quia vices Christi agere cre- ditur , nihil extra præceptum Domini , quod absit , debet aut docere , aut consti- tuere , vel jubere , sed iussio ejus & doc- trina , fermentum divinæ justitiæ in disci- pulorum mentibus conspergatur.

Oportet ergo eum esse doctum (*f*) lege divinâ , ut sciat unde proferat nova & vetera , castum , sobrium , misericordem , semper superexaltet misericordia judicium,

(*b*) c. 63. (*c*) c. 2. (*d*) c. 64. (*e*) c. 2. (*f*) c. 64

ut idem ipse consequatur : cùm enim aliquis suscipit nomen Abbatis (*g*) , duplice debet doctrinâ suis præesse discipulis , id est , omnia bona & sancta , factis ampliis quam verbis ostendere , ut capacibus discipulis , mandata Domini verbis proponat ; duris verò corde & simplicibus , factis suis divina præcepta demonstret . Omnia verò quæ discipulis docuerit esse contraria , in suis factis indicet non agenda , ne aliis prædicans ipse reprobus inveniatur , nequando dicat illi Deus peccanti : Quare tu enarras justicias meas , & assumis testamentum meum per os tuum ? Tu verò odisti disciplinam , & projecisti sermones meos post te , & qui in fratribus tui oculo festucam videbas , in tuo trabem non vidisti .

Ideò Abbas cum timore Dei (*h*) , & observatione Regulæ omnia faciat , sciens se proculdubio , de omnibus judiciis suis æquissimo judici Deo rationem redditurum (*i*) : Ante omnia , ne dissimulans , aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum , plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis , terrenis atque caducis ; sed semper cogitet quia animas suscepit regendas , de quibus rationem redditurus est , & ne causetur de minore fortè substantia ,

(*g*) c. 2.      (*h* c. 3.)      (*c. 2.*)

meminerit scriptum: Primum quærite regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Et iterum: Nihil deest timentibus eum.

Sciatque quia qui animas suscepit regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii, ipsarum omnium animalium redditurus est Domino rationem, sine dubio additâ & suæ animæ. Et ita timens futuram discussionem Pastoris de creditis ovibus, cùm de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus. Et cùm de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur à vitiis emendatus. Et præcipue hanc regulam (*k*) in omnibus conservet, ut dum benè ministraverit, audiat à Domino quod servus bonus qui erogavit triticum conservis suis: Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

### § III.

#### *De discretione Abbatis in operibus injungendis.*

¶ N ipsis autem imperiis suis (*a*), sit prævidus & consideratus, sive secundum

(*k*) c. 64.

(*a*) Ibid.

Deum , sive secundum sæculum sint. Quapropter (*b*) , cùm aliqua agenda sunt in Monasterio , convocet Abbas omnem congregationem , ideo autem omnes ad consilium vocari diximus , quia sæpè juniori Deus revelat quod melius est ; si qua verò minora agenda sunt in Monasterii utilitatibus , seniorum tantùm utatur consilio , sicut scriptum est : Omnia fac cum consilio , & post factum non pœnitebis. Dicat autem ipse unde agitur , & audiens consilium fratrum , tractet apud se , & in ejus pendeat arbitrio , ut quod salubrius & utilius judicaverit esse , faciat , & ei cuncti obedient , sed sicut discipulis convenit obediere magistro , ita & ipsum providè & justè concedet cuncta disponere.

Præterea si qua rationabiliter & cum humilitate charitatis monachus peregrinus hospes reprehendit , aut ostendit , tractet Abbas prudenter , ne fortè eum propter hoc ipsum Dominus direxerit. Opera ergò quæ injungit , discernat (*d*) & temperet considerans discretionem Sancti Jacob dicentis : Si greges meos plus in ambulando fecero laborare , morientur cuncti unâ die. Hæc ergò & alia testimonia discretionis matris virtutum sumens , sic omnia tempe-

ret (*e*), ut sit & fortes quod cupiant, & infirmi non refugiant, & sic omnia disponat qualiter animæ salventur, & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant. Omniaque mensuratè fiant (*f*) propter pusillanimes; imbecillitas enim infirmorum & delicotorum, ab Abbatे consideranda est, & illis talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentiâ laboris opprimantur, ut effungentur.

In omnibus quoque officiis monasterii, (*g*) ista sit consideratio, ut quandò indigent, solatia accommodentur eis: (*h*) ut non cum tristitia faciant, & iterum quandò vacant, obedient imperanti. Omnes ergò habeant (*i*) solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci.

### § I V.

*Quād sollicitē debeat Abbas corporis necessaria Monachis providere.*

**R**ÆTEREA (*a*), ut vitium peculiare radicitùs amputetur, dentur ab Abbatे omnia quæ sunt necessaria, id est, cu-

. (*e*) c. 41.    (*f*) c. 48.    (*g*) c. 53.    (*h*) c. 35.  
  (*i*) c. 35.    (*a*) c. 55

culla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. Omnia enim à Patre (*b*) Monasterii sperantur. In Abbatis quoque sit providentia (*c*) quando opera in agris habuerint fratres, aut æstatis fervor nimius fuerit, à Pentecoste usque ad idus Septembris, diebus Mercurii & Veneris, continuare prandii sextam: omnia enim sic debet temperare atque disponere, qualiter animæ salventur, & quod faciunt fratres, absque murmuratione faciant. In arbitrio etiam & potestate Abbatis erit (*d*), si labor factus fuerit major, vel loci necessitas, aut ardor æstatis, suprà mensuram potūs & cibi, ampliūs poposcerit, aliquid si expedit augere. A quo tamen Abbatē semper, consideretur illa sententia Actuum Apostolorum (*e*): Quia dabatur singulis prout cuique opus erat; ubi non dicimus, ut personarum (*quod absit*) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio.

Ità ergò Abbas (*f*) consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem invidentium; in omnibus tamen ju-

(*b*) c. 33. (*c*) 41. (*d*) c. 39. & 40. (*e* c. 14.  
(*f*) c. 55.

diciis , Dei retributionem cogitet.

Præfertim cura maxima sit Abbati (*g*) ; ne aliquam negligentiam patientur infirmi à cellarariis & servitoribus , quia ad ipsum respicit quidquid à discipulis delinquitur. Et licet superfluitate suâ contristent fratres suos sibi servientes , patienter tamen portandi sunt , quia de talibus copiosior merces acquiritur.

Vestimenta autem fratrum , secundum qualitatem locorum ubi habitant , vel aëris temperiem dentur : quia in frigidis regionibus , amplius indigetur , in calidis verò minus : hæc ergo consideratio penes Abbatem sit , qui & de mensura provideat , ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus ea.

Non ab eo persona in monasterio discernatur ; non unus plùs ametur quam alius , nisi quem in bonis actibus invenerit meliorem (*h*) : non præponatur ingenuus ex servitio convertenti , nisi alia rationabilis causa existat. Nec turbet gregem sibi commissum , nec quasi liberâ utens potestate , injustè disponat aliquid , sed cogitet quia de omnibus judiciis & operibus suis redditurus est Deo rationem.

Quod si ità , justitiâ dictante (*i*) , Ab-

(*g*) c. 39. (*h*) c. 63. (*i*) c. 1.

bati visum fuerit, ut scilicet quis præferratur, de cuiuslibet ordine id faciat; si nisi alias, propria teneant loca: quia sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, & sub uno Domino aequaliter servitutis militiam bajulamus; & quia non est personarum acceptio apud Deum, solùmmodo in hac parte discernimur, si meliores aliis in operibus bonis inveniamur: ergo aequalis sit ab eo omnibus charitas, una præbeatur in omnibus, secundum merita, disciplina.

---

### § V.

*Qualiter debeat esse sollicitus Abbas circa delinquentes fratres, ut corriganter.*

**S**CIA T Abbas (*a*) quam difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum servire moribus, & alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus, & secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam, ita se omnibus conformet, &

---

(a) c. 3.

appetet , ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur , verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat . Sciatque sibi oportere magis prodeesse quam præesse , & culpæ Pastoris incumbere , quicquid in ovibus paterfamilias , utilitatis minus potuerit invenire . Tantum iterum liber erit , si , ut inquieto , vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa , & morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita , Pastor earum in judicio Dei absolutus , dicat cum Prophetâ Domino : Justitiam tuam non abscondi in corde meo , veritatem tuam & salutare tuum dixi , ipsi autem contemnentes , spreverunt me , & tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus ( b ) , poena fit eis prævalens ipsa mors .

Omni ergò sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres , quia non est opus sanis medicus , sed male habentibus ( c ) . Quapropter in ipsa correptione prudenter agat , & ne quid nimis , ne dum nimis cupit eradere æruginem , frangatur vas . Oderit vitia , diligit Fratres , suamque fragilitatem semper suspectus sit , memineritque , calatum quassatum non conterendum , ideo semper superexalte

( b ) c. 27.

( c ) 64.

misericordia judicium , ut idem ipse consequatur (*d*). In quibus dicimus ut dissimulet peccata delinquentum , & ut permittat nutriri vitia , imo ut coeperit oriri mox radicitus ea , ut prævalet , amputet , memor periculi Heli Sacerdotis de Silo (*e*) , sed tamen prudenter , & cum charitate ea amputet , prout viderit cuique expedire , sicut etiam diximus , & studeat plus amari quam timeri , nec sit turbulentus & anxius , non sit nimius & obstinatus , vel zelotypus aut nimis suspiciosus , quia numquam requiescet (*f*) : & videat ne forte invidiae , aut zeli flamma urat animam suam.

Porrò in doctrina sua (*g*), Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare , in qua dicit : Argue , obsecra , increpa , id est , miscens temporibus tempora , terroribus blandimenta , dirum magistri , pium patris ostendat affectum , id est , indisciplinatos & inquietos durius arguere ; obedientes autem , & mites , & patientes , ut in melius proficiant , obsecrare ; negligentes autem & contemnentes , ut increpet & corripiat , admonemus . Et honestiores quidem , atque intelligibiles animos , primâ , vel secundâ admonitione , verbis corripiat ,

(*d*) c. 2. (*e*) c. 64. (*f*) c. 65. (*g* c. 2.)

improbos autem , vel inobedientes verberum vel corporis castigatione , initio peccati coercent , sciens scriptum : Stultus verbis non corrigitur , & iterum : Percute filium tuum virgâ & liberabis animam ejus à morte (h). Debet ergo uti omni modo , ut sapiens Medicus , si exhibuit fomenta , si unguenta exhortationum , si medicamina scripturarum divinarum , si ad ultimum , unctionem excommunicationis , vel plagas virgarum , & jam viderit nihil suam prævalere industriam , adhibeat etiam , quod majus est , suam & omnium fratrum pro eo orationem , ut Dominus , qui omnia potest , operetur salutem circa infirmum fratrem.

Debet etiam immittere quasi occultos consolatores impeetas (i) , id est , seniores sapientes Fratres , qui quasi secretè consolentur fratrem fluctuantem , & provocent eum ad humilitatis satisfactionem , & consolentur eum , ne abundantiori tristitia absorbeatur , sed sicut ait Apostolus : Confirmetur in eo charitas , & oretur pro eo ab omnibus. Magnoperè enim debet sollicitudinem gerere Abbas circa delinquentes Fratres , & omni sagacitate , & industriâ curare ne aliquam de ovibus sibi creditis

(h) c. 27.

(i) 27.

perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super fanas tyrannidem, & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: Quod crassum videbatis assumebatis, & quod debile erat projiciebatis. Et Pastoris boni imitemur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem quæ erraverat, querere. Cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur impone-re, & sic reportare ad gregem (k). Quod si tamen nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam utatur ferro abscisionis, ut ait Apostolus: Auferte malum ex vobis; & iterum: Infidelis si discedit, discedat, ne una ovis mortua totum gregem contaminet.

(k) c. 28.

F I N I S.

